





OBSERVATIONES

DE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS

MORBIS, PRÆSERTIM ACUTIS.

JOAN. THEODORI ELLER.

OBSERVATIONES

DE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS

MORBIS, PRÆSERTIM ACUTIS,

JOAN. THEODORI ELLER;

Medicinæ Doctoris, Borussorum Regi à Consiliis Intimis & Archiatri, Classis Physicæ Academiæ Regiæ Scientiarum, Collegii Supremi Medici, Collegii Medico-Chirurgici, ut & omnium Medicarum rerum ac Chirurgicarum totius Regni Præsidis ac Directoris, Regiorum exercituum Medici Primarii, &c.



AMSTELODAMI,

Sumptibus FRATRUM DETOURNES.

M. DCC. LXVI.





LECTORI BENEVOLO S.

TRADIMUS tibi, L. B. obſervationes iſtas practicas, de cognoſcendis & curandis morbis, quas conſcripſit Vir in arte medica ſummus, illuſtris ELLERUS. Tradimus autem ita, ut ſimul maximopere doleamus, Viro illuſtri has obſervationes non ad finem uſque perducere licuiſſe, quippe quem mors prævenit, in hoc ipſo perficiendo opere oc-

cupatum. Coacti igitur ſumus, opus nondum ad umbilicum perductum, cui multa adhuc capita, præſertim de morbis chronicis, plane deſunt, tibi tradere. Attamen cum Vir illuſtris, obſervationes haſce non modo prelo deſtinaſſet, ſed etiam initium eärum quadam ratione prelo jam paraſſet, maluimus, opus etiam imperfectum in lucem edere.

Non expectabis a nobis, L. B. ut multis laudibus haſce obſervationes extollamus: Quilibet, qui profundiorem beati Viri

doctrinam, qui acre, ipsius, in dijudicandis & discernendis rebus, judicium, qui solertissimam curam, sedulasque observationes apud tot ægrotorum lectulos institutas, neque minus multitudinem ægrotantium, quibus per tam longum temporis tractum medicinam fecit, nobiscum considerabit, facile perspiciet, hisce observationibus non pauca inesse, quæ tanto Viro non plane indigna sint, quæ grata & accepta, etiam doctioribus grata & accepta esse possint.

Hoc ſaltem, L. B. ſancte adfirmare poſſumus & debemus, ita eſſe obſervationes haſce, uti in ſchedis reliquit illuſtris Auctor. Quanquam enim ſine dubio, ſi longior contigiſſet vita, ſecundis curis recognitas, limatiores multo ac auctiores fuiſſet editurus, religioni tamen nobis duximus, hæc uti ſunt, artis ſalutaris cultoribus invidendi. Vale. Berolini, d. 1. Maj. 1762.



ELENCHUS SECTIONUM.

De Statu corporis humani ſano & ægroto. SECTIO I. pag. 1

De Febribus in genere. SECTIO II. 45

De Febribus Continuis. SECTIO III. 61

Febris ephemera. *idem*

Synochus ſimplex. 62

Synochus putrida. 64

Febris ardens, ſive Cauſus. 69

De Febribus intermittentibus & continuis remittentibus. SECTIO IV. page 79

Febris quotidiana intermittens. 81

Febris tertiana intermittens. 83

Febris quartana intermittens. 92

De Febribus continuis remittentibus in genere, & in specie de veterum quotidiana continua, seu catarrhali benigna recentiorum. SECTIO V. 104

Febris tertiana & quartana continua. p. 110

De Febribus catarrhalibus malignis cum vel sine exanthematibus. SECTIO VI. 112

Variolæ & Morbilli. 134

Purpura rubra, urticata, Scarlatina, &c. page 155

De Febribus acutis inflammatoriis. SECTIO VII. 158

Phrenitis. 160

Angina. 166

Peripneumonia & Pleuritis. 178

Peripneumonia notha. 203

De tabe seu Phthisi pulmonali, reliquisque febribus lentis hecticis. SECTIO VIII. 207

De Hepatitide & Ictero. SECTIO IX. 219

De Nephritide & calculosis affectibus. SECTIO X. 233

De Ventriculi inflammatione SECTIO XI. 246

De inflammatione intestinorum & dysenteriis variis. SECTIO XII. p. 253

De Dysenteria epidemica. SECTIO XIII. 265

De Apoplexia. SECTIO XIV. 278

De Paralysi. SECTIO XV. 298





DE STATU CORPORIS HUMANI SANO ET ÆGROTO.

SECTIO I.



UM vita hominis ſana, ſenſu phyſico, ſit complexus omnium iſtorum motuum qui in diverſis corporis humani partibus, diverſo quamvis reſpectu, ſimul peraguntur; cumque hi motus diverſas omnino actiones, pro partium, viscerum, ſenſuumque organorum diverſitate producant; actiones hæ a Medicis *functiones* fuerunt appellatæ, quo ſcilicet nomine actionis motus continuus, licet pro partis vel viſceris cujuſcunque indole diſſimilis, ut dixi, intelligitur.

Quamvis vero omnes hæ functiones a sanguinis massa, per viscera reliquasque corporis partes mota, originem ducant, motusque hi ab una eademque causa movente oriantur, diversi tamen longe sunt in diversis visceribus ac organis motus hujus effectus, a structura diversa situque harum partium pendentes. Omnes interim a sanguinis motu productæ hæ functiones, vel in secretionibus & excretionibus diversorum humorum eorumque præparationibus, vel in perceptione consistunt; hæc organorum sensuum actio est, illæ viscerum sunt.

Cum igitur motu non intercepto, nec nimis aucto neque debili nimium, nulloque impedimento præsente functiones corporis omnes debitæ absolvuntur, tunc vita integra adest, quæ *Valetudo optima vel Sanitas* nuncupatur; quod si vero læsio, imminutio, vel integra cessatio functionis partis cujusvis in corpore nostro existit, id quod ex molestia vel dolore percipitur, *Valetudo adversa vel morbus* apparet, quorum numerus ingens ex diverso læsionum gradu tot tantarumque partium humanum corpus constituentium omnino petendus est.

Morbus itaque, cum functionis cujusdam læsæ præsentiam in corpore denotet, integritas autem functionum harum in debito sanguinis motu peromnia corporis nostri vasa consistat, necesse omnino est functionis læsæ causam vel in cruorevel in vasis corporis latere, quo sicuti omnia viscera & sensuum organa, ita & ossa pertinent, singula ex vasis & fibris pervia conflata. Ad morbum itaque cognoscendum & dijudicandum sufficiens requiritur, tum massæ sanguinem constiuentis cognitio, tum vasorum per quæ illa vehitur structura. Sanguinis cognitio ex adsumptorum cibi & potûs qualitate, quæ in liquidum hocce conver-

tuntur, adipiscitur, vasorum vero structura & actio ex physicis, anatomicis, mechanicis, hydraulicis, &c. subsidiis maxime petenda, ambo vero vastissimum indagationis campum tradunt.

Læsio vel dissolutio partis cujusvis corporis vivi, instrumento licet peracta omnium subtilissimo oculis nostris vix perceptibili, sic & cadaverum cera colorata vel alio liquido idoneo repletio artificiosa vasorum, eorumque, quæ oculos fugiunt, per microscopia amplificatio, abunde credo monstrant, in tota corporis nostri compage nullum dari neque concipi posse punctum, ut exiguum, quod non vasculis abundet copiosissimis, liquido circulante, a sanguinis massa accepto turgidis, quæque omnia ex una fonte corde nimirum, motu haud interrupto scaturiunt.

Primus autem liquidi hujus vitalis motor Cor, alterna sua dilatante & contrahente musculari vi & actione, per vasa duo conoïdea, in corpore humano maxima, ex membranis & fibris fortioribus conflata, *Aorta* scilicet & *pulmonum arteria* nuncupata, cruoris massam, quamdiu vita subsistit, indesinenter propellit. Ambo hi ex cordis ventriculis porrecti arteriarum trunci, in ramos apicem versus, acutos plerumque angulos formantes, divelluntur, quique rursus in longe tenuiores progrediendo abeunt, donec tandem varie inflexi & tortuosi in ramulos minutissimos visum fugientes explicati, vascula secretoria lateraliter, & in continuitate ultimæ extensionis prima venularum stamina constituant, quæ pedetentim in ramulos ampliores collecta, directione retrograda, venas majores efficiunt; trunci denique maximi harum venarum, *pulmonalem scilicet & cavam sic dictam venam* efformant, ad revehendam versus cor sanguinis totius massam. Propterea vasorum horum innumerabilium mira con-

geries, viſcerum quotquot in corpore humano reperiuntur compagem, imo & reliquarum partium ſolidarum extenſionem omnem & texturam conſtituunt; ſoli pulmones inter viſcera, præter vaſa cruoris jam enumerata, etiam aërea vaſa, *aſperam ſcilicet arteriam* ex ſtructura cartilaginea in veſicularem deſinentia, pro aëris ingreſſu & egreſſu reciproco habent comites.

Præter cordis in cruore propellendo actionem, aliam adhuc in partibus ſolidis, maxime arteriis, deprehendimus vim, minime enim paſſive vel ab omni actione deſtitutæ ſe gerunt partes hæ, uti veteres credebant Medici, ſed inſita quaſi vi, motui impreſſo reſiſtunt, reagunt, vel & ſponte, maxime irritatæ, actionem monſtrant; quam quidem vim, ex admiranda cerebri ſtructura, ab arteriarum innumerabilium, in pia meninge expanſione retiformi, corticem cerebri ex faſculis minimis inde emiſſis producente, tandem in cerebri medullam, ſcrutatores ſtructuræ ſuæ perſpicaciſſimos, eludentem deſinente, per nervorum inde emiſſos ramulos quaquaverſum diſtributos adipiſcuntur. Nimirum cerebrum una cum ſubſtantiæ ſuæ propagatione cerebello, medulla oblongata & ſpinali, in embryone primum formatis, cordi in puncto ſaliente adhuc delitescenti, ad vaſa dicta explicanda & circulum humorum inchoandum, motum non ſolum impertit, ſed & baſim partium ſolidarum, earumque fibrillam minimam & ultimam conſtituit, quo fit, ut in omni puncto partis ſolidæ cujusvis, conatus, vis & actio ad reſiſtendum æque ac movendum, quamdiu vita ſubſiſtit, percipiatur; functionis nimirum cerebri & nervorum imperſcrutabilis effectus ultimus, Medicis *motus tonici, elateris, conſtrictionis naturalis &c.* nominibus venit, in cauſis morborum eruendis diffuſiſſimi uſus.

Nervorum autem ſobolem illam, ſolidarum partium inchoamentum ac baſim; fibrillam ſcilicet minimam, cavum adhuc cylindrum in muſculorum tendinumque fibris æque ac in vaſorum membranis conſtituere, evincit illorum ſucceſſiva extenſio, qua incrementum acquirunt quævis noſtri corporis partes; nutritionem namque in vaſculis hisce omnium ultimis peragi debere, nemo facile, Structuræ functionumque partium humani corporis gnarus, in dubium vocabit; id quod denuo evincit, partes corporis noſtri ſolidæ omnes, vaſorum diverſæ ſtructuræ & actionis compagem eſſe, per quæ liquida diverſa in ſanguinis maſſa contenta, in circulum indeſinenter circumaguntur. Cæteroquin veriſimile ſatis videtur eſſe, ultimam hancce fibrillæ nerveæ extenſionem, telam iſtam celluloſam conſtituere, quæ ex innumeris varie divergentibus lamellulis, ſpatiola & areolas ſuæ expanſionis replentibus conflata, ubique fere in corporis noſtri partibus obvia eſt, quæque in cylindros convoluta, fibras ſimplices ſolidasque, conſtruendis muſculis, tendinibus, vaſis ac oſſibus, porrigit, elementa autem ultima celluloſæ hujus membranæ, ex particulis terreis ſimpliciſſimis compacta eſſe videntur, quæ ope glutinis, ex aqua & pinguedine intime mixtis coadunata ſunt.

Præterea indefeſſis ſtructuræ corporis humani ſcrutatoribus jam pridem innotuit, præter motum iſtum, quem nervi partibus humani corporis impertiunt, & aliam dari motus ſpeciem in muſculorum fibris præcipue ſe manifeſtantem, & a nervorum commercio immediate haud pendentem, cum nervis etiam remotis vis quædam contractilis adhuc remaneat in fibris hiſce muſcularibus, cum irritatæ fuerint a cauſa ſtimulante, pungente vel acri quacunque; id

quod experimentis fere innumeris egregie comprobavit *illustris Hallerus*. Hujus insuper phænomeni consideratio lucem affundere videtur symptomatibus quibusdam explicandis, in morbis quandoque occurrentibus; neque inconsideratam nimis assertionem meam fore existimo, si vi huic fibrarum contractili, maxima ex parte progressum motuum vitalium æque ac naturalium adscribere ausim; edoctus nempe sum, in insectis quibusdam, quorum fibræ valde irritabiles, motus sive functiones ejusmodi debere peragi quamvis cerebro & nervis omnino destituantur.

Hæc de elatere fibrarum attigisse eo magis necessarium judicavi, quo cruor inde ortum suum maxima ex parte repetit. Hujus autem cruoris cognitio ulterior, ex cibi & potûs natura & proprietatibus, variisque, quas in corpore humano subeunt mutationibus acquirenda est. Cibi cum ex vegetabilium animalinmque regnis vastissimis desumuntur, diversis eos pollere proprietatibus nemo nescit. Potus autem, cum sit aqua vel pura, vel succis vegetabilium simplicibus aut fermentatis permixta, inservit cibis hunc potissimum in finem, ut isti dentium, ventriculi & intestinorum actionibus comminuti, mixti, subacti eo melius dissolvantur, ut id, quod corpori in nutrimentum cedere debeat, Salivæ, liquoris gastrici, intestinalis pancreatici & bilis præparationibus ulterioribus ita commutentur, ut in liquorem subtilem lacteum abeant, sub chyli nomine notum, sanguinis massæ admiscendum.

Cum vero ciborum ex animalium penu desumptorum ea sit indoles, ut in isto caloris nostri corporis gradu, mutationem seu potius corruptionem putredini accedentem facile acquirant, cautum est a Summo rerum Conditore, ut ista carnium ad corruptionem

putridam vergens dispositio avertetur, per cibos acorem facile contrahentes, putredinique resistentes, quos vegetabile regnum suppeditat, quibus opitulatur culinaris sal, optimum ad arcendam putredinem condimentum.

Lacteus hicce liquor a cibis segregatus, chylus dictus, quamprimum per vascula minutissima lactea idcirco appellata ex intestinis ad mesenterium delatus, novo liquore glandularum meseraicarum dilutus, in receptaculum commune collectus, venæ subclaviæ per ductum thoracis infusus, & sanguini denique in cordis ventriculo dextro admixtus fuerit, pulmonali arteriæ commissus in rete vasculoso pulmonum, super bronchiorum vesiculas expanso, ab aëre inspirato premitur, compingitur, cruori pristino jam formato admiscetur eique penitus adsimilatur; quando tunc cordis ventriculo sinistro per pulmonalem venam traditus, ibique in aortam pulsus, per vibrationes arteriæ hujus continuas, (cujus ramorum myriades, in corporis totius compage in omni puncto distribuuntur) in cruoris consistentiam denique transformatus deprehenditur.

Cruoris hæcce massa per pulmonum arteriarumque reliquarum actiones perfecta penitusque elaborata cum ex secta vena portio ejus collecta in vasculo excipitur sibique relicta examinatur, tria potissimum diversæ speciei fluida sistit; major pars rubra, in solidam fere massam concrescens, dimittit alteram partem, ex flavo albescentem, quæ in gradu caloris, naturali paululum majori, albuminis ovi instar coagulatur, quæ & tertiam massæ hujus partem amplectitur, prioribus vehiculi instar subservientem, calore aquæ in modum in auras dissolubilem, tria hæc distincta fluida sub *Cruoris, Seri & Lymphæ* nominibus Medicis cognoscuntur.

Rubra pars, adhuc fluida, per microſcopium examinata, ſiſtit globulos minutiſſimos, rubros, fere pellucidos, ſero & lymphæ innatantes. *Serum* quoque corpuscula ſphæroidea, flaveſcentia, pellucida, prioribus, teſte *Lewenhoekio*, ſextuplo minora, nutrimentum & accretionem corpori in vaſculis ultimis præbentia, & actione ulteriore vaſorum elaſticorum in globulos rubros quoque mutari apta conſpicienda præbet. *Lympha* denique, aquæ inſtar, motu & calore adjuta, impedit ne cruoris & ſeri moleculæ ſolidiores coëant, ſed fluidæ conſerventur, pro nutritione peragenda æque ac vehiculum præbendo liquoribus ſuperfluis, officio defunctis, ex ſanguinis maſſa ſecernendis.

Porro lympha hæcce, principio ſalino ex alimentis digeſtis & ſolutis impprægnata, Salivam, ut & ventriculi, inteſtinorum pancreatisque ſuccos, ex vasculis glandulisve horum viſcerum ſegregatos conſtituit. Reſidua hujus lymphæ portio, quam poſt ſecretiones in ventriculo, inteſtinis & pancreate, perpeſſas, ſanguis hicce adhuc retinet, vehiculum ſiſtit, cujus ope liquidum illud amarum, ſaponaceum, quod bilem efformat, a cruore hocce, per portarum venæ truncum ad hepar delato, ſecernitur, cui opitulari videtur lienis ſanguis, qui, cum nullam in hoc viſcere ſecretionem, ſed potius, ob motum lentum & remoram, relaxationem patitur, diſpoſitionem forſitan acquirit bilis ſecretioni proficuam, quando cruori præcedenti in portæ trunco mixtus fuerit. Ulteriori autem bilis præparationi egregie inſervit partim portio iſta oleoſa, pinguis, ſoluta, in omento a venis epiploicis reſorbta, portarum ſanguini tradita; partim etiam latex ille putris, rancidus, alcalinus, ex venis reſorbentibus, in inteſtinis craſſis excrementorum diverſorio collectus, & ad

truncum portæ per meseraicas venas delatus, quæ potissimum partes saponaceum huncce liquorem efficiunt, cum aquosa pinguibus, pro chilo conficiendo, sunt miscenda.

Lympha denique vehiculo quoque inservit eliminandis per renes & cutim partibus istis superfluis pinguibus, salino terreis, per motum sanguinis nimium exaltatis, ad acrimoniam alcalescentem vergentibus, sub lotii sudorisque nominibus notis. Serosa vero sanguinis portio, subacta penitus & præparata, solidis partibus corporis in nutrimentum cedit, promovendo scilicet accretionem meleculas nempe restituendo, circulatorio motu in vasculis abrasas & detritas Intimius adhuc elaborata seri hujus portio, ex omnium viscerum & organorum indole purissima collecta, forsan in semen abit partium harum omnium compos. Pars denique seri omnium subtilissima & simplicissima mirum illud nervorum fluidum videtur efficere, cujus modum præparandi in cerebro æque ac secernendi abstrusissimum, ut apertius deregi possit, vasorum vetat summa exilitas, quippe quæ microscopiis etiam optimis, imo & ratiocinio fere omni penitus se subducunt.

Fluidorum hujus indolis motus, causæ suæ proportionalis, cum scilicet per omnia vasa continuus & non interruptus deprehenditur, singulas corporis nostri actiones vel functiones perficit, & ideam tunc sanitatis perfectissimæ sistit. Quando vero motus hicce a causa quæcunque impedimentum offendit, ut ut minimum illud sit, molestia vel incommodum inde exortum, statum sanitatis integræ minuit, & cum perdurat, noxium existit & morbi cujusdam fomitem introducit, adeo ut ægritudo vel morbus semper functionis alicujus læsæ præsentiam in corpore humano manifestet.

Functionum harum differentia a Medicis olim stabilita, inque *Vitales, Naturales & Animales* dispartita, morborum diagnosi eruendæ plurimum inservit. *Vitales* ideo appellatæ sunt, quia vitam, quæ in sanguinis circulo, præcipue per cor, cerebellum & pulmones acto, sustinet, licet quandoque functiones reliquæ debilitatæ valde sint, vel etiam per tempus aliquod suppressæ, quamvis tunc vita solummodo minima adesse observetur. *Naturales* autem functiones a nutrimento in visceribus abdominis chylopoioeis in naturam humanam convertendo ad massam sanguinis elaborandam nomen acceperunt. *Animales* denique functiones ita nuncupatæ sunt, quoniam sub imperio animæ vel mentis ab intellectu conceptæ & per voluntatem in actum deductæ liberrime exequuntur; ceteroquin musculares maxime motus & sensuum organa functiones hæ respiciunt. Priores duæ, vitales nimirum & naturales functiones, cum a mentis nutu immediate haud pendeant, nec ab ejus imperio augeri, nec minui, neque deleri integre possint, sub naturæ conservatricis præsidio quasi constitutæ, motus suos operantur, videturque inde intelligi posse, quid sub naturæ humanæ nomine indicare voluere veteres Medici.

Causæ vero functiones hasce corporis nostri debilitantes vel lædentes, cum innumeræ fere deprehendantur, itaque morborum ingens quoque numerus indagantibus occurrit, quod nec mirum videbitur illi, qui vilem materiei, ex qua corpus humanum colligitur compositionem, ejusque debilem valde cohæsionem sedulo perpendit, quæ scilicet omni quasi momento per motum detrita & abrasa, per nutrimenta quotidie refici ac redintegrari debet, ne tota machina corruat. Hæcce vero diversissimæ indolis cum sint,

ratione molis æque ac qualitatis damnum afferre poſſunt. Cumque adſumpta hæc tot mutationes in humano corpore ſubire debeant, antequam nutritioni, reſtitutioni corporisque conſervationi apta reddantur, & illa, quæ ex his ſuperflua ſunt, iterum eliminentur, inſtrumenta vero, viſcera ſcilicet, cum illorum fluidis, quorum ope hæc omnia peragi debent, innumeris fere modis affici, lædi vel debilitari poſſint; ingens ideo læſionum & ægritudinum campus corporis humani ſcrutatoribus ſe offert, quæ cum effectus ſint a cauſis ſuis pendentes, earum indagatio propterea ſumme neceſſaria erit iis, qui ad morbos propellendos animum intendunt.

Nec mirum videri debet, quod cauſæ pleræque vitam & ſanitatem noſtram ſuſtinentes, aër videlicet & nutrimenta, maximum quoque morborum numerum in corpus noſtrum introducere apta reperiantur, Aër, ſumme neceſſarium illud vitæ ſuſtentaculum, ejusque motus ventûs ſcilicet, per inſpirationem omni fere minuto ſecundo, quamdiu homo vivit, intra pulmones receptus, totamque corporis ſuperficiem ambiendo premens, quando nimis calidus æſtivo tempore & ſiccus exiſtit, perſpirationem corporis plus juſto auget, ſudores nimios manere facit, liquida proinde ſubtiliſſima ex ſanguinis maſſa educit, corpus debilitat, cruoris globulos condenſat, ſerum inſpiſſat, circulationem in vaſculis ultimis minuit; ſtaſes liquidorum efficit, meatus obſtruit, morbos acutos inflammatorios omnis generis, præſertim peripneumonias in pectore excitat. Aer autem nimium frigidus & ſiccus, in elaſticitate ſua valde auctus fibras partium ſolidarum denſat & conſtringit, humorum circulum in ſuperficie corporis ſuffocat, pulmonum veſiculas contrahit, ſiccat, liquida ſecreta ibi vel ſecernenda coagulat, tuſſes,

catarrhos, coryzas, glandularum tumores in faucibus producit, quique affectus febres plerumque catarrhales habent comites. Nimium diuque vero perducans aer humidus, partium solidarum fibras laxat, earumque elaterem debilitat, transpirationem prohibet, humores eliminandos accumulat, unde iterum febres catarrhales cum tussi exoriuntur, colluvies serosa in diversis corporis partibus colligitur, & pulmo contactui aeris ejusmodi indolis magis expositus peripneumonias serosas violentas sæpissime patitur, &c.

Præterea si quis animum advertit ad moleculas istas & corpuscula innumera quoad originem & figuram nunquam satis determinanda, continuo in aerem elevata & in ejus fluido natantia, quæ partim terræ globus ex mineralium penu exhalando porrigit, quæ mare, flumina, palludes per calorem solis elevant, quæ dissolutiones putredinosæ animalium aeri æstuanti committunt, quæ corrupta, combusta vel fermentantia vegetabilia in aerem protrudunt, quæque ex ægrotorum, morbo quodam epidemico decumbentium corporibus exhalant miasmata seu effluvia nociva, contagiosa in aere collecta, appropinquantes ceteroquin sanos inficientia, quicunque inquam hæc aeris inquinamenta, ex ejus tamen indole minime procreata, probe secum perpendet, is non adeo mirabitur morborum ingentem istum numerum ex prava aeris constitutione originem ducentium, videturque aeris ventorumque considerationem exactam, ad morborum diagnosin eruendam, a Medicis recentioribus nimium neglectam fuisse, quamvis maxime inculcatam ab Hippocrate aliisque Medicis Græcis præcipue, & qui ejus pressferunt vestigia.

Nec in minori copia morborum causas suppeditat alterum istud vitæ sanitatisque fulcimentum. Alimenta

videlicet quotidie adsumenda, minus equidem nociva, si sub sanæ mentis moderamine eorum copia æque ac delectus semper statueretur; cum vero ad oblectamenta sensus moventia naturalis hominum proclivitas mentis imperium in hoc passu ut plurimum reprimit, cibi & potûs copia eorumque qualitates longe diversæ, multa incommoda producere & morbis gravissimis viam sternere posse nemo ignorat; nausea, ructus, cardialgia, vertigo, vomitus, respiratio anxia, digestio impedita, chylificatio prohibita, sunt effectus qui a Stomachi, per ciborum potusque copia nimium extensi inertia exoriuntur; ut taceam reliquas, quæ ex heluonum ejusmodi intemperantia oriri possunt in sanguinis massa infirmitates.

Sed hæc ciborum potûsque incommoda, illorum sæpius noxiæ adhuc superant qualitates, quæ cum sensu physico innumeræ fere sint, attentionem Medici omnem certe postulant. Sic usus nimius carnium pisciumque sale communi conditorum, producit in sanguinis massa serum acre dissolutum, ad destruendum solidas partes potius quàm ad nutriendum aptum, inde dolores rodentes, pustulæ, scabiei & scorbuti muriatici Species originem ducunt. Ingurgitatio acidorum vel acescentium nimia & consueta acorem in Sanguine auget, qui serum coagulando obstructiones in vasculis minimis producunt, unde nutritionis defectus, macilentia, pallor, serpigo, rheumatismus, dolores vagi, arhtritici podagrici, & in Stomacho voracitas, cardialgiæ, &c. existunt. Sapor acutus, ex rebus sale & oleo acribus unitis productus, quo alimenta gustui & palato gratiora reddita supra modum quandoque permiscentur, *acrimoniam* in cruore creant *aromaticam* a Medicis neotericis dictam, quæ fibras partium solidarum stringit, in ventriculo ardores cardialgicos, nauseam,

ructus & sæpe vomitus excitat, motum sanguinis & calorem auget, liquida dissipat, febres, arthriticos dolores, debilitatem denique & maciem inducit. Abusus liquidorum adhuc fermentescentium inflationes ventriculi & intestinorum spasticas creant, quas excipiunt sæpe vomitus, diarrhœæ, dysenteriæ & cholera quandoque. Liquores vero fermentati, ex vino vel frumento collecti, destillatione repetita a phlegmate liberati, ac in majorem gradum subtilitatis spirituosæ evecti, aromatumque extractione penetrantiores adhuc redditi, si in majori copia quotidie hauriuntur, motum oscillatorium in fibris accelerant, capitis temulentiam inducant, liquidissimam sanguinis partem dissipant, crassiorem inspissant, functiones corporis omnes debilitant, infractus viscerum eorumque obstructiones, tumores, leucophlegmatiam, hydropem, sensus hebetes obtusos procreant, affectus utplurimum sanationem omnem illudentes.

Cibi ex Vegetabilibus viscosa tenacitate præditi sunt, quam quidem in farina, pro pane conficiendo, fermentum quodammodo auffert & corrigit. Reliqua farinacea per fermentum non correcta, ut & animalium gelatinæ, quando ignavum nec motu nec laboribus exercitatum corpus hisce nimium nutritur, tunc illa viscositas ventriculi & intestinorum fibras laxat, illarum cavitates extendit, peristalticum motum debilitat, chylificationem debitam impedit, obstructionem in lacteis meseraicisque tubulis procreat, abdomen durum ac tumens elevando diaphragmatis motum minuit & suffocat, cruorem totum denique viscosum reddit; inde pallor habitus corporis totius, glandularum schirrhi, partiumque solidarum in Secretione & excretione inertia, viscerum denique labes oriuntur; & quis ignorat illas ex hisce causis originem ducentes ægritudines?

Nimius vero carnis, tam animalium terrestrium quam aquaticorum usus, victu interim vegetabilium acescentium penitus neglecto, humores nostros ad corruptionem putridam disponit, serum nutriens depravat, sitim ingentem, oris fœtorem, inflammationes, ulcera, febres putridas, cum vomitu nidoroso excitat, maxime ex carne valde pigui multum commesto.

Sunt & aliæ morborum causæ in corpore vegeto & sano existentes, quæ ut plurimum ex neglecto vitæ regimine debito originem ducunt, quarum indagatio Medicis maxime incumbit; Notum est, quod naturalis humorum in corpore nostro circulus, musculorum motum frequentiorem omnino postulet, hocce enim nimium quiescente, maxime in iis qui vitæ sedentariæ nimis indulgent, sanguis spissescit, ejus debita velocitas minuitur, cellulosa membrana adipe impletur, obesitas colligitur, fibræ otiosæ torpescunt, laxantur, serum tardius motum in pituitam denique abit, hinc obstructio in minimis, leucophlegmatia, anasarca, oedema, seri & lymphæ collectiones hydropicæ variæ; ex quibus facile colligitur, similes enarratis, in humoribus nostris mutationes sanitatem depravantes accidere debere, si quis somno indulget immodico, quo præcipue sanguinis lentor, parte subtilissima dissipata, cerebrum aggravat, sensus interni tunc cum externis debilitantur, denique torpent.

Quod si vero motus musculorum nimius quotidie corpus nostrum immoderata exercet, tunc stricturæ & laxationes fibrarum muscularium reciprocæ, diu continuatæ, sanguinis velocitatem plus solito augent, quo liquidissima expelluntur, serum in pelliculam inflammatoriam cogitur, vascula minima per attritum cruoris nimis fortem dissolvuntur, pinguia in sangui-

nis massa cum salibus nimium exaltata, in alcalescentem volatilem abeunt acrimoniam, si humorum putredinosa dispositio introducitur & a bile per motum quasi adusta augetur, lympha in ichorem conversa, adipe dissipato, cellulosam membranam replet; corpus extenuatur; sanguis porro hunc in modum dissolutus & depravatus, febres inflammatorias in suppurationem & gangrænam vergentes introducit. Sic & vigilia nimia pari fere modo corpus humanum afficit, qua nimirum diu continuata, omnes corporis functiones, in præparatione perfectione, secretione & excretione humorum debilitantur & mentis denique actiones requisitæ impediuntur.

Animi tandem pathemata variarum in corpore mutationum causam præbere omnibus notum est, unde multi & gravissimi sæpe morbi originem ducunt, quique omnem Medici attentionem inprimis merentur. Explicatu quidem difficiliores affectus hi præ reliquis sunt, quoniam ab effectu solummodo cognoscuntur, cum mentis cum corpore unionem & commercium minus cognitum habeamus, perfecteque ignoremus qua lege in se reciproce agere, vel pati a se mutuo possint. Hoc interim perspectum habemus neque intellectus neque voluntatis animæ vi, propositoque deliberato cordis motum augeri, minui, vel sisti penitus posse ad vitales nimirum actiones delendas; neque omni mentis nisu peristalticum ventriculi & intestinorum morum pro functionibus naturalibus citius vel tardius exequendis intendere vel supprimere queamus; multo minus quoque voluntati mentis imperio auscultat sudoris desiderata expulsio, lotii in majori copia secretio, neque alvi frequentior solutio reliquarumque in corpore secretionum æque ac excretionum naturalium acceleratio aut suppressio; nihilominus experimur

perimur quotidie, a cauſis plerumque externis, quæ ſenſuum organa ſolummodo afficere videntur, enormes in anima mutationes oriri poſſe, quibus animales non ſolum, ſed & vitales æque ac naturales in corpore functiones, maxime aliquando perturbantur.

Intuitu originis harum animi paſſionum; nihil præterea determinare licet, quam id quod omnibus notum eſt, ſcilicet quod ab objectis externis tenerrima nervorum medulloſa ſubſtantia in ſenſuum organis obvia & explanata; leniter tacta vel etiam percuſſa, mutationem hancce ad cerebri medullam, ab arteriis in cortice cerebri in infinitum quaſi diviſis ortam, transportet eique communicet, quam quidem mutationem in cerebro, *perceptionem* Phyſici vocant, quæ ne ſtatim deleatur aut pereat, impreſſionem inde factam eſſe autumant, impreſſionis modum licet ignoremus. Interim apparet, preceptiones hujusmodi in ſenſu viſus ſub ſpecie *imaginis*, in reliquis vero ſenſuum organis ſub *Idearum* ſpeciebus, menti ſe iterum pro lubitu ſiſtentibus, repræſentari, unde *Imaginatio* & *Reminiſcentia*, tanquam primæ entis in corpore noſtro cogitantis operationes originem ducunt. Harum Idearum quarumdam examen & comparatio a mente inſtituta, earumque conſideratio ad eruendum ex iis notiones ſive Ideas novas easque vel veras vel adparentes, *Ratiocinium* vocatur, & ſi veræ vel convenientes eliguntur, *Judicium*. Delectus inde & debita æſtimatio earum quæ nobis conveniunt & ad felicitatem noſtram augendam conferunt *Intellectus* dicitur, ex determinatione vero intellectus, cum bonum aliquot, ſive verum ſive apparens eligit, *Voluntas* oritur, cujus ſæpe tanta vis & imperium in intellectum determinatum deprehenditur, ut maxima inde pathematum copia derivari

queant, quæ corpus noſtrum quandoque exagitant & bos producunt.

Ita videmus voluntatis vim mentem ſæpius in iram, in furorem, in vindictam rapere, quando quis juſto, vel etiam a culpa remotus patitur; *ſtat pro ratione voluntas*. Sic *metus*, *anxietas*, *terror*, *melancholia*, *deſperatio* oriri poſſunt, cum quis conſcientia ſcelerum ſuorum opprimitur, quæ voluntate deliberata olim perpetravit. Præterea bonorum quocunque modo acquiſitorum ut & famæ jactura ſubita & inopina, diuturnam *triſtitiam*, *mærorem*, *mentis denique alienationem* plenariam producere poſſunt. Affectus hisce haud abſimiles procreat quandoque ſumma inopia rerum earum omnium, ſine quibus vita ſuſtentari nequit. Affectus hi omnes ab ideis mœrorem afflictionemque creantibus oriuntur, e contrario ideæ gratiſſimæ quandoque vitæ periculum inferre poſſunt, ſic *lætitia immodica* de boni cujusdam inexpectati & ſpem omnem ſuperantis acquiſitione non raro funeſta exſtitit; interim multorum ſæpe animi affectuum vehementia a temperamento, vel ab educatione neglecta aut depravata, originem repetit.

Ex hisce animi violentis affectionibus, quæ periculoſas totidem in ſanguinis maſſa mutationes producunt, multos atroces morbos procreari poſſe notiſſimum eſt. Sic ab *iracundia & furore* videmus liquidi nervei motum concitari, cordis actionem augeri, pulſus frequentiam accelerari, ſanguinem in vaſa minima pelli, ſecretiones inde turbari &c. affectus inde ſecuturi, Medico actionum corporis gnaro, latere nequeunt. Ita quoque experientia conſtat quod *metus & timor*, a mala præſertim conſcientia producti, fibrillas vaſorum minimorum ſtringant, motui liquidorum in illis iter præcludant, ſanguinis maſſam a corporis ſu-

perficie ad vaſa majora retropellant, pallorem & frigus in extremitatibus relinquant, perſpirationem ſupprimant, reſpirationem augeant muſculares æque ac vaſorum motus & vibrationes debilitent, liquida ſpiſſiora reddant &c. Quis autem medicæ artis peritus, vel etiam ſcientiæ hujus ignarus non percipit varios inde excitari poſſe morbos? quibus non multum abſimiles ex *mœrore & triſtitia* oriri poſſe experientia comprobat.

Alias denique cauſas adhuc humanum corpus ab extra afficientes offendimus, quæ multos quoque morbos producunt, uti ſunt omnes illæ, quæ integumenta, carnem, oſſa comprimendo, pungendo, rodendo, diſſolvendo, frangendo, vel quocunque demum modo lædere poſſunt, ſolidis æque ac fluidis partibus noxiæ & quandoque extiales, qui inde producti morbi, licet chirurgiæ potius objectum ſint, Medici tamen directionem & auxilium ſæpius poſtulant.

Inſuper ille, qui multis ægrotis conſulit, neceſſe habet ut animum ſedulo advertat ad illas, in quam plurimis corporis noſtri partibus ſæpius occurrentes ſanguinis vel humorum ex ſanguine ex loco in locum translationes ſive *congeſtiones*, (μεταστάσεις Græcis nuncupatæ) quæ, num naturæ agentis conamen, an patientis defectus, aut hallucinantis naturæ error ſint, ſcrutari lubens ſuperſedeo; hoc interim ſcio, quod absque mentis directione congeſtiones hæ exiſtant, & cum non ſemper in ſenſus explorantis vel etiam ægroti incurrant, ex functionem, illarum partium quas occupant, debilitate vel impedimento cognoſci facile poſſunt. Pro cauſis vero agnoſcunt, mox *plethoram* ſive ſanguinem ſuperfluum, nimis motum vel etiam vitiatum cacochymicum, quemadmodum videre eſt in *ophthalmiis* ſi ad oculos, in *otalgiis* ſi ad aures, in

hæmorrhagiis ſi ad nares, ad pulmones, ad renes, ad inteſtinum rectum, vel ad uterum &c. nimia velocitate propellitur cruor; mox a ſecretionibus naturalibus ſuppreſſis vel imminutis congeſtiones ejusmodi oriuntur, ſic videmus, quod humidum tranſpirabile retrocedens & ad pituitariam narium membranam delatum, *Coryzas* ibi, in faucibus *Anginas*, in reſpirationis organis *Pleuritides ſpurias* in inteſtinis *tormina & diarrhœas* &c. ſæpius excitent. Mox experimur quod lympha vel ſerum acre extra circulum ſecedens hinc inde collectum, in media carne *Rheumatismos*, in articulorum ligamentis partibusque tendinoſis *Arthritides*, in nervorum ramis *commotiones ſpaſticas* procreent. Et quis ignorat, quod pus, in partibus nonnullis internis æque ac externis collectum hærens, reſorberi & ad alias partes delabi iterum poſſit, novosque morbos, pro partium quas denuo occupat indole, introducere?

Ex cauſis hactenus recenſitis, unde omnes fere morbi cogniti originem trahunt, diſtinctio illa, inter cauſas remotas ſcilicet & proximas, in ſcholis medicis introducta, dijudicare facile poterit, quicunque ſecum perpendet, quod ad cauſas remotas omnes iſtæ ſint referendæ, quæ corpus ita mutant ac diſponunt ut aptum ſit morbum ſuſcipere, ad proximas vero cauſas referri debere omnes iſtæ quæ morbum immediate conſtituunt, itaque cauſa proxima remotæ juncta morbum apparere facit, illa Προκαταρκτικὴ hæc vero Προηγουμένη Græcis audit, quæ quidem cauſarum diſtinctio ad eruendum morbum quodammodo utilis eſt Medico, quamvis aliæ magis ſubtiles ac ſuperfluæ cauſarum diſtinctiones, a quibuſdam Syſtematum compilatoribus introductæ, intellectum magis obumbrent quam expediant; fundamentum ſane præcipuum

praxeos medicæ & forte unicum est, debita causarum morbi cognitio, quoniam is, qui causam morbi tollit, morbum sanat, qua propter felicissimus Medicus erit ille, qui causas morborum perfecte poterit cognoscere. Ceteroquin de causis morborum remotis notandum adhuc esse experientia monet, quod illud quod noxium sit uni individuo, alteri minus noceat, imo quandoque proficuum sit, id quod toties experimur de aeris, cibi potusque qualitatibus, motuque corporis, maxime si successive & a primis statim incunabulis tenerum corpus ad vitæ genus vel durum vel molle fuerit adsuetum, quo fit, ut tractu temporis functiones corporis nostri auscultent quasi consuetudinibus, quæ sæpius noxia faciunt innocua, & hæc aliis corporibus iterum nociva reddunt, unde proverbii origo, quod consuetudo sit altera hominis natura.

Præterea ex comparatione accuratius institutæ structuræ partium humanum corpus constituentium cum earum functionibus, non adeo difficile erit, debite versato in hac scientia Medico, illud præternaturale a causa morbi proxima distinguere, quod morbum necessario sequitur vel comitari solet, & in scholis Medicorum Symptoma vocatur, cujus cognitio ideo necessaria est, ne quis in errorem Agyrtarum incidat, qui structuræ functionumque partium corporis ignari, symptomatibus plerumque medelam afferre tentant, intacta morbi causa proxima relicta.

Hæc ipsa denique structuræ corporis humani cognitio, ex anatomes studio acquisita, si cum functionum viscerum organorumque notitia ex physiologicis fontibus repetenda comparatur, indaganti Medico signa minime dubia patebunt, quæ morbum in corpore præsentem ejusque causam proximam indicant; cognitis enim functionibus viscerum, organorum, par-

tiumque reliquarum omnium dum corpus optime valet, illarum aberrationes, defectus vel læsiones ex situ partium & doloris indole cognoscuntur, & sic morbi cujusvis diagnosis haud difficile eruitur; ætas vero, sexus, temperamentum, vitæ genus consuetum, anni tempora, morbi epidemice grassantes, infectiones &c. quæ si cum præcedentibus comparantur, prognosin morbi præsentis indicare solent.

Hisce vero signis, diagnosin æque ac prognosin morborum dilucidantibus, maxime subvenit pulsus arteriarum examen, & respirationis ægroti consideratio, una cum investigatione debita illorum quæ naturaliter ex corpore secernuntur, uti sunt saliva, sudor, lotium, alvi fæx, quæ, an nimiæ sint, aut deficiant? indagandum, ut & earum qualitates explorandæ sunt; sic quoque cruor, si quis ex vena detrahitur, considerandus erit, inprimis ejus color, miscela & consistentia &c.

Cum pulsus arteriarum, massæ sanguinis plerumque caloris gradum, ejusque motum varium, ut & secretiones inde pendentes annunciet, ejus consideratio, ad morbi cujusvis indolem vel proprietates eruendas, ab omni tempore valde necessaria judicata fuit; Cumque *pulsus plenus, satis fortis, ast mollis & æqualis*, musculorum cordis sat validam contractionem, liquidique cerebellosi in nervos cordis influxum debitum, sanguinis copiam sufficientem in motu suo nullo modo impeditam, ut & arteriarum omnium, per quas movetur sanguis, structuram fortem commonstret, corpus humanum in sanitate optima constitutum esse pulsus ejusmodi indicat. Facile inde perspicitur, quod pulsuum ab hisce conditionibus aberrationes vel alterationes, impedimenta quædam & obstacula denotent, quibus efficitur ut sanguinis circulus, qui func-

tionum omnium in corpore caufa primaria exiftit, mutationes ejusmodi indicans, cujusdam morbi imminentis vel etiam jam præfentis indicium fit. Ita *Pulfus debilis, parvus & rarus*, conftrictionem cordis minus validam, ex cruoris inopia & liquidi nervofi influxu infufficienti ortam manifeftat, inde functiones vifcerum debilitatæ, earumque fecretiones & excretiones imminutæ deprehenduntur; quamobrem pulfus ejusmodi parvus & debilis perfæpe in relaxatione nimia vaforum & vifcerum detegitur, fcilicet fi major fanguinis, imprimis ferofi & lymphatici pars, arteriis neglectis intra vafa venofa, lateralia & excretoria quafi immota hæret, id quod in cacochymicis & leucophlegmaticis corporibus experimur. *Pulfus tardus & debilis*, contractiones cordis debiles ex cruoris inopia & liquidi nervei defectu ortas, declarat; *Pulfus autem debilis & frequens* fimul, acria & rodentia in fanguine contenta prodit, aliquando ex fpaftica fibrillarum contractibilium ftrictorio motu exoritur, vafcula arteriarum minima in extremitatibus comprimendo, & cruorem in vafa majora retropellendo, id quod in frigore febrili detegitur. *Pulfus magnus & durus*, vafa plena, cruorem compactum & denfum, arterias minimas coagulo inflammatorio hinc inde obftructas, hinc fecretiones & excretiones interruptas defignat, & in febribus cum inflammatione ftipatis plerumque occurrit. *Pulfus parvus* & *durus* cruoris maffa deficiente, obftructiones ejusmodi inflammatorias, in organis præcipue vitalibus fubfiftentes monftrat, & non raro in peripneumonia occurrit, ubi magna cruoris pars intra pulmones inflammatos remoram fatalem patitur, quare periculofus femper habendus, imo periculofiffimus pulfus ejusmodi dijudicandus, fi fimul *inæqualis vel intermittens debilis & durus* deprehenditur. Cete-

roquin isti, qui Medicis antiquis *serrati, caprizantes, myuri, dicroti* &c. audiunt, hujus pulsus duri & parvi gradus esse, exploratione constat, quorum tamen in-dagatio, in dijudicandis morbis præsertim acutis, vel ex miasmate infectivo natis, in crisi expectanda, vel ea deficiente quoque, non supervacaneum esse expertus sum. Ceterum observasse necesse est, quod ætas, sexus, temperamentum, animi affectus, consuetum vitæ genus, anni tempora, mutare quodammodo possint, quæ de pulsuum differentia hactenus attuli, quare monitum hocce sedulo erit perpendendum, priusquam ex pulsu ægroti, signa morbi vel diagnostica vel prognostica quævis indicare cogimur.

Ex Respirationis negotio in morbis signa petere non incongruum esse, experientia testatur; sicuti enim *respiratio facilis, æqualis, constans, magna & lenta*, functiones pulmonum, diaphragmatis & musculorum motui viscerum horum inservientium rite constitutas esse, sanguinisque circulum nullum ibi & in partibus reliquis impedimentum pati, abunde declarat; ita *respiratio parva & celeris* pulmones rigidos, vel cruoris, vel seri pituitosi, vel tumoris cujusdam, vel tuberculorum minus meabilium vitio obstructos indicat; porro *dolens valde & difficilis respiratio, cum suffocationis metu*, pulmones a cruore denso, valde compacto repletos & inflammatos, inde tracheæ vesiculas pro aere admittendo parum dilatabiles, manifestat. *Exspiratio autem valde calens, anhelosa & frequens cum sibilo stertoroso*, inflammationem gangrænosam brevi lethalem, monstrat. *Frigidus vero aer expulsus*, pulmonis sphacelo jam destructi mortisque appropinquantis indicium est. Quod si denique a cruoris inflammatoria tenacitate, vel a pituita densa, aut a multo ichore purulento, in pulmonum vomicis jam ruptis collecto, *respirationem*

offendimus valde *operosam, una cum anhelitu, & stertore; claviculisque, sterno & costis, cum nisu difficili elevatis*, ægrotum in agone versantem & ilico moriturum declarare possumus. Nihilominus probe adhuc observandum est, quod vitæ nostræ inseparabilis comes respiratio, ab aere, anni tempestatibus, vitiosa pectoris conformatione, animique affectibus, varias aliquando mutationes subire possit in corporibus cætoroquin sanis. Nihilominus respirationem sæpius symptomatice pati posse suffocationemque minari, quando ventriculus ab ingurgitatione vel flatibus nimium repletus, motum diaphragmatis impedit pectusque coarctat, id quod a spasticis stricturis non raro accidit, testibus hypochondriacis, & fœminis hystericis, de hac respirationis molestia & suffocationis metu sæpissime conquerentibus; similiaque incommoda respirationis hæcce difficultas creat illis, qui a catarrhalis pituitæ fibrillas irritantis in bronchiis decubitu asthmaticas constrictiones suffocativas, periodice experiuntur.

Porro ad morborum diagnosin æque ac prognosin eruendam, multum quoque tribuitur lotio, utpote signo in ægrotis præ cæteris indagando; quamvis latex hicce excrementitius, ratione ætatis, sexus, temperamenti, vitæ regiminis adsueti, præcipue propter cibi & potus differentiam copia & qualitate, quoad colorem & consistentiam multum differre possit, etiam in corporibus optime valentibus: Interim experientia testatur, quod nihilominus in morbis signa, ex lotio petenda minus dubia, ex illius copia, colore contentis, & interdum odore quoque dijudicare non incongruum sit, cum sanguinis qualitatem in ægrotis manifestare aliquo modo possit. *Copia* ejus ex adsumto potu facile dijudicatur, quæ si *parcior* excernitur, nec sudore reliqua pars fuerit dissipata, renes obstructos vel spasmo

coarctatos denotat; *si urinæ copia excreta, adsumta liquida longe superat*, transpirationem deletam, sudoremque penitus suppressum & vascula renum nimium laxata, cruoris penuriam, lymphæ vero & seri abundantiam & diabeten inde exortam, indicat. *Lotium tenue excolor*, aquam quasi puram limpidam referens, constrictionem spasticam tubulorum renalium affectiones hypochondriacas aut hystericas designat, vel animi pathemata vehementiora recens perpessa, in morbis acutis vero apparens tale lotium coctionis & criseos impedimentum & remoram ostendit, maxime ubi materia nociva evacuanda jam ad partes nobiliores delata, inflammationes periculosas, deliria, gangrænas, convulsiones & mortem sæpe annunciat. *Lotium tenue, rubrum, diaphanum, absque sedimento*, in parva copia sæpe redditum, motum sanguinis validum prægressum, tenacissimamque salium, pinguedinis & terræ in hoc fluido cohæsionem ostendit, inde attritum & destructionem vasculorum minimorum in visceribus nobilioribus, coctionemque tardam & crisin valde dubiam indicat, unde pessimi præsagii semper in morbis acutis erit. *Rubrum* ejusmodi *lotium, quod post excretionem sedimentum mox copiosum, lateri rubro, vel bolo hujus coloris contritis simili* dimittit, post vehementiorem sanguinis motum, finitis intermittentium febrium paroxismis cernitur, ex acrimonia nimirum pingui salina, cruoris valde dissoluti moleculis pituitosis, ex vasculis minimis abrasis ortum, quod si diu durat corpus debilitando, vascula minima partim destruendo, partim obstruendo, nutritionem impediendo, morbos chronicos ab atrophia, vel etiam a leucophlegmatia pendentes, relinquit. *Lotium crassum, albicans, cum sedimento crasso* copioso & cum doloris sensu excretum, acrimoniæ acidæ in sanguine præsentiam manifestat

& *juxta Celſum*, *l.* 2. *c.* 4. articulorum & viſcerum dolores denotat. *Urina coloris nigricantis* quandoque conſpicua, cruorem atribilarium motum, in circulum raptum & ad viſcera delatum, infinita mala in acutis præſagit & in *Cauſo* mortem indicat, quare *Celſus*, *l.* 2. *c.* 6. mortiferam illam declarat, quæ ſimul craſſa & mali odoris eſt; in ſenibus hæmorrhoidariis vero, lotium hujus coloris ut grave ſymptoma quandoque obſervavi, non vero tam exitiale quam in acutis. *Lotium colore obſcuro croceo tinctum*, lintea colore hoc imbuente, mox ſedimentum craſſum obſcure rubeſcens ad vaſis fundum dimittens, icterum, in reliquo corporis habitu quoque ſatis conſpicuum, patefacit. Quod ſi autem *lotium virideſcens* quandoque conſpicitur, bilis vitiati, in cruoris circulum rapti indicium eſt, indeque veterum *bilis vitellinæ*, *porraceæ*, *iſatodes* & *æruginoſæ* ſpecies ex animi affectibus violentioribus, motibusque convulſivis nonnunquam ortæ intelliguntur, quæ non raro graviſſima circa præcordia & imi ventris viſcera introducere valent ſymptomata; quare viſcerum dolorem tumoremque *ex urina viridi* declaravit *Celſus*, *l.* 2. *c.* 7. Contenta reliqua in lotio conſpicienda ex urinariis viis ut plurimum, partibusque liquidum hocce ſegregantibus male affectis ejiciuntur; ita *pus*, *carunculæ*, *fila*, *arenulæ*, *mucus*, *pituita furfuracea* & *ſanguis ſincerus* quandoque ex renibus, ureteribus, veſica, veſiculisque ſeminalibus, proſtatis & urethra ſeparari & ejici poſſunt, prout ſcilicet hæ vel illæ morborum cauſæ, jam nominatas infeſtant partes, quasque doloris in corpore ſenſus, ratione ſitus & functionum in partibus debilitate manifeſtat. Præterea *pinguis & oleoſa quaſi cum lotio excreta materia*, ſi aliquando adparet, ex ſanguinis nimio motu diu ſubſiſtente & pinguedinem ſolvente exorta, acrimoniam in fluidis, atro-

phiam & phthisin inde orituram significat. *Lotium* emissum *ad vasis latera crystallos pellucidas exiguas* affigens, ex salium quorundam acrimonia prædominante efformatas, arthriticos dolores rheumaticosque concomitare solet. Sic in catarrhosis affectibus capitis, gulæ & pulmonum, *spumescens quandoque urina & spumam diu servans* conspicitur, orta scilicet ex adipe soluto cum salibus, per motum cruoris in lixivium quasi converso, alcalescentis acrimoniæ in sanguine indicium; si vero nimis exaltata cum salibus pinguedo, *urinam flammeam quasi & foetidam* simul efficit, reliqua corporis fluida putredine conspurcans, difficillimam sanationem in acutis æque ac chronicis morbis futuram, indicat. Ceterum *urina turbata illa, jumentorum instar, aut cerevisiæ corruptæ similis*, capitis dolores prodere testatur *Hippocrates*, §. *70. Sect. 4.* Qui & *nubeculam rubellam in lotio* hærentem, crisin subsecuturam in morbis denuntiare affirmat. §. *71. Sect. 4. &c.*

De Sudore ut signo, in febribus maxime acutis, considerando, animadvertendum est, quod evacuatio hæcce semper violenta in corporibus sanis optimeque valentibus non nisi post motum corporis vehementiorem observetur, aut si noctu stragulis nimium obruitur corpus; superflua autem lympha ex cruoris massa officio suo defuncta ex cute reliquisque corporis cavitatibus, quas aer externus ambit & premit, sub specie halitus solummodo, non vero sudoris per transpirationem insensibilem ex corpore sano ejicitur, quæ ut ut imperceptibilis illa sit, juxta *Sanctorii & Kelii* calculum tamen, liquidi adsumti dimidium circiter per excretionem hancce dissipat.

Sudor itaque cum effectus solummodo sit auctioris sanguinis per circulum agitati motus, ita in febribus quæ motus ejusmodi patiuntur, considerationem

ejus, ad prognoſin ſtabiliendam, non ſupervacaneam fore arbitror. Cum vero ſudoris profluvium tactu præcipue cognoſcitur, cutis autem quæ calorem naturalem exhibet, non madida ſed mollis & uda aliquantulum reperitur, tranſpirationis inſenſibilis ſubſiſtentis, non vero ſudoris erumpentis indicium eſt; itaque ſudoris propulſio, quæ motum ſanguinis auctum ſupponit, etiam caloris gradum majorem in cute augeat neceſſe eſt; Sudoris vero liquidum per motum & calorem in hunc modum verſus cutim propulſum, in ejus miliaribus glandulis coacervatum & ſecretum, perque ductus cutis innumerabiles expulſum, canales humidi tranſpirabilis, prioribus longe minores, intricati & compreſſi redduntur, propterea inſenſibilem hancce tranſpirationem naturalem retinent & ſuffocant. Quo magis autem ſudoris hocce profluvium perdurat, eo majorem ſanguis lymphæ & ſeri jacturam patitur; quare febrium intermittentium paroxyſmi diutius protracti vel ſæpius recurrentes, ut & nonnullæ acutarum febrium ſpecies, quæ cum *ſudoris abundantioris profluvio* invadunt, & fere abſque remiſſione febrem concomitantur, cruorem ſpiſſum & tenacem reddunt, ſecretiones minuunt, vaſa viſcerum minora obſtruunt, cachecticos reddunt ægrotos, varioſque præterea morbos chronicos introducunt. In febribus lentis autem, ubi ſanguinis maſſa nimium diſſoluta, fibrarum in vaſculis elater debilitatus eſt, *ſudoris* ejuſmodi *effluvium diuturnum* ſuccos diſſipat, ægrotos extenuat, nutritionem impedit, corporis robur auffert, marcorem, atrophiam & phthiſin denique introducit.

Sudor in morbo deprehenſus *acidum ſpirans*, prædominantis in ſanguinis maſſa acrimoniæ acidæ indicium eſt; ubi vero *ſudor viſcoſus, foetens* nares ferit, corruptelam humorum alcaleſcentem in putredinem ver-

gentem ſuſpicamur, qui cum ſimul *frigidiuſculus* deprehenditur, peſſimi præſagii in morbis acutis erit.

In hisce inſuper morbis, maxime in febribus continuis malignis, de integra ſæpe tranſpirationis æque ac *ſudoris ſuppreſſione* conqueruntur Medici, unde morbi prognoſis dubia valde redditur, medendique methodus; ſed phænomeni hujus origo illum latere nequit, quem obſervatio docuit, ſymptoma hocce a morbi hujus indole pendere; nimirum febres acutæ continuæ, malignitate ſimul ſtipatæ, quando in corpore prædiſpoſito oriuntur, cum oſcitatione, laſſitudine ſubita, ſenſuque frigoris in extremitatibus totaque cutis ſuperficie ſe manifeſtant, certo ſatis indicio, quod *miasma* vel materia illa nociva acris in ſanguine hærens morbumque introducens, vaſculorum fibrillas minimas irritando ſpasmodice contrahat, ſanguinis circulum ad majora vaſa retropellat, in minimis illum ſuffocet, conſequenter ſudoris humidique tranſpirabilis ſecretionem impediat, quamdiu ſcilicet ſpaſticæ conſtrictionis cauſa in cute ſubſiſtit; & quamvis poſtea cruoris retropulſi & in majoribus vaſis accumulati motus & attritus, ab acri ſtimulante auctus, febriles motus maxime intendat, calorem & æſtum augeat, cruoremque denuo in vaſa minima undique pellat, pariter & illa cutis valde repleat, id quod calor moleſtus & urens quandoque ſatis indicat, ut ſudoris expulſio inde expectanda ſit; verum ex ſtructura corporis liquet, quod tunc hicce cruoris impetus vaſa cutis ſanguifera dilatando, neceſſario illa ſudoris & tranſpirationis longe minora, comprimere, cutemque magis calidam, ſiccam & aſperam reddere debeat, donec tandem febrilis materia, per motum & attritum cruoris ſubacta, comminuta, per medicamenta idonea correcta, perque ſecretiones & excretiones reliquorum viſcerum,

inteſtinorum ſcilicet & renum quæ aer externus non coarctat, maximam partem eliminata, cauſam motus febrilis & caloris in cutis ſuperficie minuat, vaſculaque ejus perſpirabilia iterum reſerat, & ſecretionis functionem in iis denuo reſtituat, morboque critice ſolvendo ſubveniat, id quod tarde ſæpius accidit, cum tranſpirationem expectatam poſt viginti dies elapſos, in febribus ejusmodi continuis malignis reſtitutam demum vidi; & ſic ratio ſimul redditur, cur in morbis hujusmodi malignis epidemice graſſantibus, vaſcula dicta cutis minima, per attritus calorem deſtructa, liquida corrupta emittant, quæ in tubercula minima, ſub epidermide collecta & paululum elevata, *purpuram dictam albam vel rubram* oſtendant, vel etiam in morbi hujus indolis vehementiori gradu, *maculas petechiales dictas* ex atro rubentes monſtrent vaſculorum horum gangrænoſæ aut ſphaceloſæ deſtructionis indicium, quæ periculoſiſſima in morbis hiſce ſigna dubiique ſemper eventus eſſe, nemo in medica praxi verſatus in dubium revocabit.

Sanguinis ex ægrotantium venis educti examen minime ſupervacaneum eſſe inde eluceſcit, quod liquidi hujus motus naturalis non interruptus, vitæ & ſanitatis noſtræ primaria cauſa ſit. Ille enim, qui partes ſanguinem conſtituentes cognitas perſpectasque habet, exiſtimare facile poterit, num illa, ex venis emiſſa, in vaſculum idoneum excepta, ſibi relicta & refrigerata ſanguinis portio, illas partes, quas frigefacta ſponte ſeparat, cruorem ſcilicet ſive partem rubram ſerum ſeu partem nutritioni dicatam, cum lympha ſive aqua diluente remixtam, in debita proportione, colore & conſiſtentia exhibeat, necne? interim qualitatis requiſitæ integritatem vel defectum in ſanguinis maſſa indagare, quotidiana occaſionem præbebit praxis.

Nimirum in ſtatu naturali & ſano, cruoris in ſuperficie color rubicundus & floridus & in ima parte magis fuſcus apparere, in tertia circiter liquidi ſeroſi & lymphatici parte immerſus natare vel ſubſiſtere debet. Quod ſi itaque *cruoris pars ſeroſam quaſi ſuffocat, & gelatinæ inſtar concreta,* nihil fere lymphatici liquoris ſeparare permittit, ſignum eſt plethoram, ſive ſanguinem ſuperfluum, in corporis vaſis nimium moveri, unde ſecretionum turbationes, cruoris in vaſculis minimis accumulationes, inflammatoriæ ſtaſes & febres inde exortæ, vaſorum dilatationes & rupturæ, unde narium, pulmonis, uteri, inteſtinorum &c. hæmorrhagiæ, aliaque hujus generis ſymptomata, brevi pertimeſcenda ſunt. Sanguis autem qui undique, in ima parte æque ac in ſuperficie, *ruborem dilutum exaltatum* monſtrat, in junioribus narium hæmorrhagias, hæmoptyſes, in ætate provectioribus vero rheumatismos, vagasque arthritides excitat. Ubi cruori ſeu rubicundæ portioni innatat materia ex flavo albeſcens admodum tenax, vel quæ pellis inſtar cruorem undique tegit, febris cujusdam inflammatoriæ præſentiam in corpore denotat. *Cruor dilutus, non valde cohærens & multa pituita perfuſus*, reperitur in corporibus cacochymicis, arthritide vexatis, vitæ ſedentariæ adſuetis. Si *pituitoſum ſerum, multa flavedine bilioſa ſcatens, cruorem tegit*, jecur, viſceraque chylopoiea labefactata indicat. *Cruor valde compactus, ater, pinguis, terreſtris*, ſeri nihil vel parum dimittens, atrabilariam humorum conditionem monſtrat, melancholici & maniaci ſanguinem hujus conſiſtentiæ exhibent. *Ater ſanguis, craſſus, non cohærens ſed in grumos collectus*, ſero muriatico perfuſus, & in ſuperficie muco flavo viridi hinc inde tectus, in corporibus ſcorbuto vero correptis offenditur. *Sanguis* vero *tenuis grumoſus, parum concreſcens*

ab

ab acrimonia alcaleſcente putrida diſſolutus, in febribus ardentibus putridis contagioſis ſummeque periculoſis, conſpicitur. Denique *ſanguis* e vena eductus, valde *dilutus*, cujus pars ſeroſo lymphatica, *multa pituita* ſcatens, cruorem tenuem rubicundum copia valde ſuperat, leucophlegmatiam & hydropis ſpecies varias annunciat.

Præterea Medico, de ſanguinis qualitate judicium ferenti incumbit, ut ætatem, ſexum, temperamentum, vitæque genus ſimul exploret, quæ fluidum hocce intuitu coloris & conſiſtentiæ, multum variant. Nam in juventute utriusque ſexus, ut & in ætate provectioribus, qui temperamento ſanguineo gaudent, floridum magis ſanguinem & vividæ rubedinis conſpicimus; In corporibus media ætate conſtitutis, quotidiani motu & multo labore fractis, vel cholerico temperamento præditis, adparet cruor valde denſus, compactus, ruboris magis obſcuri, qui parum ſeri lymphatici dimittit. Porro pigri, deſidioſi, qui vita ſedentaria delectantur & habitum corporis laxum monſtrant, ſanguinem coloris rubri langueſcentis, valde dilutum, multa pituita perfuſum & tectum oſtendunt; Cruor vero craſſus, ſiccus, ex atro rubens, temperamentum atrabilarium, melancholicum, prodit &c. Præterea in ſanguinis hujusmodi examine notandum denique venit, quod in corporibus ſanis fluidum hocce brevi poſt paſtum ex venis eductum, rubedinem ſuam in ſuperficie multoties abſcondat ſub velo albicante lacteo, ab imperitis pro pituitoſa ſaburra habito, cum tamen nihil aliud ſit, quam chyli ab alimentis recens extracti, & per circulationem nondum ſubacti aut in cruorem converſi, copia, quæ vero penitus diſparuiſſet, modo vena poſt horas aliquot tardius fuiſſet pertuſa.

In ſignis morborum enumerandis hactenus occupatus, non omittenda eſſe judico præſagia illa, quæ in morbis maxime acutis criſim appropinquantem vel etiam præſentem indicare ſolent, quorum conſideratio eo magis neceſſaria, quod ſæpius in hisce ſignis hallucinari vidi Medicos juniores, dum ſymptomatibus criſim præcedentibus arcendis occupati, illam potius turbant & morbum ſæpius acutiorem reddunt, non ſine vitæ ægrotantis diſcrimine. Veteres Medici, imprimis græci, qui artem ſalutarem obſervationibus perpetuis ad lectos ægrotantium factis locupletare, & medendi methodum inde eruere ſtudebant, non potuerunt non animadvertere, quod in febribus acutis, quarum ſymptomata in dies augebantur, principium quoddam materiale nocivum vel materia quædam noxia, morbum efficiens, in ſanguinis maſſa exiſtere debeat vel introducta ſit febris, cauſam προκαταρκτικὴν ſive proximam conſtituens, quæ, quamdiu illa cruorem inficeret & cum eo in circulum acta, ad omnes corporis partes propelli & diſtribui poſſit, ſymptomata graviora producere apta ſit, pro partium, viſcerum vel organorum, quæ magis vel minus afficit, indole vel functione.

Obſervationibus hisce ſedulo continuatis, adparebat artis medicæ peritis, materiam hancce noxiam per cordis & vaſorum vim indeſinenter in circulum actam, mutationem pati & corrigi poſſe, ut apta reddita, per ſecretiones naturales ex ſanguinis maſſa eliminetur. Conflictum fero iſtum materiæ morboſæ cum cruore circulante πεπασμὸν ſive coctionem nominabant, per quam diſpoſita & ad evacuandum apta redditur materia quam κρίσιν vocabant, judicium quaſi de morbi exitu ſuppeditans. Cum vero morbi vigor in dies augebatur, viſcerumque functiones in ſecernendo

& excernendo quotidie imminuebantur, ideoque ſymptomata morbi primaria increſcebant, tunc ſtatum hunc morbi cruditatem dixerunt, qua durante coctio protrahitur & criſis impeditur.

Criſis perfecta igitur adpellanda erit illa, ubi tempore poſt coctionem debito, morbi materies per narium, uteri aut inteſtini recti hæmorrhagias, vel per alvum, lotium ſive ſudorem, quandoque etiam per vomitum ſpontaneum integre ejicitur, cum remiſſione ſymptomatum plenaria & ſanitatis perfectæ reſtitutione. Signa vero criſim ejusmodi inſtantem indicantia, (veteribus, ſymptomata critica appellata) obſervabimus præcipue ſequentia: Vis vitæ vel functionum vitalium, parum mutata vel imminuta deprehenditur, licet animales ut & naturales functiones debilitatæ quandoque adpareant, laſſitudo porro & debilitas cum anxietate conjuncta, aliquando etiam cum ſopore & ſomnolentia, imo cum levi delirio nonnunquam ſtipata obſervatur; Nox criſim antecedens, absque ſomno ſæpe peragitur; dolores præterea, gravitates, titillationes, æſtus, ſitis, ſpaſticæque conſtrictiones, maxime in illis corporis partibus, ubi critica expulſio intenditur, præcedere ſolent; qua demum ſuccedente & debite abſoluta, decrementum morbi inſequitur, vitæ vires increſcunt & functiones ſucceſſive in integrum reſtituuntur. Tempus autem criſeos incertum ſemper manebit, cum a morbi natura, ſymptomatum gravitate, temperamento, ætate, ſexu, vitæ regimine adſueto & a regione pendeat; Quare critica tempora, a veteribus Medicis, maxime ab Hippocrate ſtabilita, in noſtris hisce oris fallacia ſæpe deprehenduntur.

Criſim imperfectam demum illam nominare conſueverunt Medici, quando vis vitæ vel functionum vitalium robur, materiam morbi, coctione licet ſuſcepta,

ſed non penitus abſoluta, totam ſubigere, immutare, aut critice evacuandam aptam reddere nequit; quare mota licet materies illa, ex virium defectu tamen intra corpus relicta, & ad hoc vel illud viſcus, organum vel partem delata, morbum novum, ut plurimum chronicum introducit, qui ratione partis vel viſceris quod occupat, majus vel minus incommodum aut periculum involvit: morbi hæcce permutatio potius quam ſolutio, Medicis græcis κρίσις μεταςατικὴ audit.

Cum vero vitæ vis morbo ſolvendo, vel materiæ morbiferæ expellendæ penitus impar ſit, tunc ſymptomata morbum ejusmodi acutum concomitantia, quotidie in pejus ruunt, id quod in febribus ardentibus putridis, & catarrhalibus malignis epidemice graſſantibus, in noſtris regionibus, & in his maxime ſubjectis accidere ſolet, qui in ætatis vigore conſtituti, victu incongruo, duro, crudo, copioſo, corrupto, difficilioris digeſtionis, liquoribusque ſpirituoſis, aut corruptis, in copia hauſtis, adſueti, corpus æſtuans ſubito frigori exponunt, vel ex inopia & paupertate corpus male veſtitum, interdiu laboribus fractum, & noctu ſtragulis neceſſariis deſtitutum, injuriis aeris exponere coguntur. Cauſis hisce & ſimilibus prægreſſis, ſanguinis maſſa, pernicioſam ſæpe patitur mutationem, quæ ſcilicet morbi materiam generat & exhibet, ſenſibus noſtris imperceptibilem, ab effectu luctuoſo ſolummodo cognoſcendam, quæ exhalando per cutem & pulmones, illos qui ad ægrotos ejusmodi accedunt, aggreditur, dum illorum cruorem, per actionem fermentationis æmulam depravando, ſimili morbo funeſto afficit; unde infectionis & contagii in morbis origo & progreſſus aliquo modo intelligi poterit.

Ægroti vero, qui hocce morborum genere, vitæ vim superante, succumbunt, sequentia imprimis symptomata monstrant: morbus subito corporis, viribus quasi exhausti, partes omnes invadit, pulsus debilis, celer, aliquando durus simul & intermittens, cum respiratione impedita & anhelosa cernitur; anxietas valida circa præcordia sentitur; secretiones narurales turbantur & deficiunt; lingua, palatum & fauces, saliva exsiccata arescunt, sordities seu crustæ nigricantes fuscæ, in his partibus colliguntur; nausea perpetua ciborum appetentiam integre delet, sitim vero auget quæ mox inextinguibilis evadit; cui non raro vomitus cum alvi dejectionibus serosis putridis, & guttulæ paucæ atri coloris e naribus aliquando, sed absque levamine succedunt; urina sæpius reddita parca, rubra, tenuis & spumosa adparet, & sudor cum aliquando prorumpit, in guttas circa caput & collum collectus, viscosus & frigidus deprehenditur. Tristia hæcce symptomata mox excipiuntur mentis alienatione & delirio; somnus nullus insequitur vel jactitatione membrorum perpetua turbatus, vires suffocatas minime reficit; tremuli motus linguæ, labiorum & manuum cum spasmodicis partium constrictionibus, de functionum vitalium decremento testantur; oculi nunc sponte lachrymosi, nunc sicci & pulverulenti conspiciuntur; torvo interim vultu ægroti tales intuentur adstantes, floccos denique colligunt, & insciis ipsis excrementa egrediuntur &c. Nulla præterea criseos levantis vestigia in toto morbi decursu adparent, cum recrementa illa, quæ nares, alvus, renes & cutis quandoque emittunt, partium destructionis magis quam reparationis signa sunt, uti & illæ in cute aliquando elevatæ vesiculæ lividæ, aut maculæ ex atropurpureæ, corruptionis gangrænosæ potius quam crisis salutaris indicia.

sunt. Ex signis jam recensitis, symptomata critica antea enarrata, a symptomatibus morbi acuti quotidie increscentis distinguere, non adeo difficile erit junioribus Medicis, qui ægrotantium sanitati restituendæ sedulo operam dant.

Cum criticæ evacuationis negotium, in febribus præsertim acutis, naturæ providæ seu directrici adscribitur, mentem afferti hujus, paucis explicare non superfluum fore existimo. Minime sollicitus quidem sum de conceptu diverso quem diversimode de natura definienda tradunt autores; nec litem movebo, an criseos opus, mente inscia, vel sub ejus directione a natura perficiatur? sed solummodo phænomena, uti adparent, & in corporis nostri structura, ejusque partium functionibus fundata sunt, considerabo, missis interim omnibus verborum ac explicationum ambiguitatibus. Omnibus itaque structuræ corporis humani gnaris, nexus ille strictior ultro patescit, qui inter Cor, Pulmones & Cerebrum intercedit, pro inchoando scilicet & sustinendo motu illo, qui functiones vitales seu vitam hominis efficit: mirabilis sane adparet in isto motu, catena seu circulus, nimirum cor, respirationis adminiculo, sanguinem, pro liquido nerveo perficiendo cerebro committit, hoc vero, pro motu cordis sanguinem propellentis continuando, nerveum hocce liquidum cordis musculis sine interruptione iterum infundit, huncque in modum *vitales* nostri corporis *actiones*, quamdiu vita subsistit, absque mentis imperio peraguntur.

Supposito itaque hocce motu vitali circulatorio, in quo cordis, pulmonum & cerebri functiones potissimum consistunt, aliarum simul partium functiones inde defluunt, nam eodem cordis motu, respiratione, & liquidi nervei ex cerebro influxu adjuvantibus, san-

guis ad viscera abdominis chylopoiea propellitur, quorum ope cibi & potus adsumti in chylum & sanguinem convertuntur, nempe ad jacturam illam, quam corporis nostri liquida omni momento patiuntur resarciendam, quæ sanguinis redintegratio vitali functioni sustentandæ necessaria omnino reputanda est; cumque viscerum horum, ventriculi nempe, intestinorum, hepatis, lienis, pancreatis & omenti actiones ita ordinatæ & dispotæ sunt, ut assumpta nutrimenta per χυλο-καὶ αἱματοποίησιν in nostri corporis indolem & naturam quasi convertant, actiones hæ, collective sumptæ, Medici, sub *functionis naturalis* appellatione a reliquis functionibus distinguere consueverunt.

Hisce consideratis & præmissis, intelligere haud difficile erit, quemadmodum in statu corporis naturali & sano, viscera abdominis chylopoiea, per præparationis & secretionis actiones, ex alimentis chylum pro sanguine conficiendo extrahunt, superfluaque ex cruoris massa, ad nutritionem minus apta, per intestinorum, renum, ac cutis emunctoria separant & ejiciunt; ita hæcce partium viscerumque actiones, cum in corpore ægroto æque perdurant & subsistunt, nocivum illud quod morbi causam constituit, huic viscerum actioni simili modo subjicitur; quare noxium illud, quod vel fluidorum motui resistens, vel aliquid acre, solida irritans est, quoniam effectu suo motum febrilem in cruore excitat, similem immutationem & correctionem per vires functionem vitalium & naturalium subire poterit, ut per secretiones naturales ad crisim vel criticam evacuationem denique aptum reddatur; evacuationem hancce naturæ operanti vel directrici adscribere, si placet, naturam humanam censeo definiendam esse, quod sit structuræ corporis humani insita vis, quæ circulatorio sanguinis motu, per vis-

cerum vitalium & chylopoieorum functiones directo, alimenta pro corporis nutriendi conservatione præparare & assimilare, omneque præterea superfluum, peregrinum & noxium ex sanguinis massa, citius vel tardius, pro nocivæ materiei indole ejicere vel eliminare valet. Inde simul adparet, divina sapientia cautum esse, ut vitales naturalesque corporis humani functiones, intellectus & voluntatis nostræ directioni minime obediant, ne quis passionum suarum violentia raptus, & ab omni spe dejectus, functiones hasce sistere & se ipsum interimere pro lubitu possit, id quod facillimæ executionis fore arbitror, si functiones hæ, ut illæ animales, quæ musculorum in extremitatibus corporis motui, sensibusque externis quibusdam & internis dicatæ sunt, mentis vel animæ imperio obedirent. Medicis nihilominus, qui veram & adæquatam de natura humana notionem sibi acquisiverunt, sedulo incumbit, ut naturæ hujus motus, molimina & effectus in morbis assidue observent, iisque si salutares sunt, subveniant, motibus vero erroneis blandam potius correctionem suppeditent, quam violenta disturbatione evacuationes criticas per medicamenta incongrua impediant, morbumque insanabilem aut lethalem quandoque reddant.

Quod in signis morborum fusius explicandis hactenus commoratus sim, nemo mihi vitio vertet, qui mecum considerat, quod illorum cognitio exacta, ad medicam artem cum successu excolendam, summe omnino necessaria sit; Neque nimium me asseruisse crediderim, si experientia edoctus affirmare conarer, quod ille qui ex reiteratis dissectionibus anatomicis, humani corporis structuram perfecte cognovit, cognitarumque partium viscerum & organorum functiones, secundum veræ physeologiæ ductum indefesso studio

scrutatus est, causasque morborum & signa hactenus recensita, & per tot secula a Medicis observata, optime cognita perspectaque habens memoriæ suæ impressit, in diagnosi pariter ac prognosi morborum errores committere non facile possit, imprimis si illud phœnomenon præternaturale, quod functionis debilitatæ visceris vel partis cujusdam locum in corpore ægroti indicat, dolor nimirum, morborum fere omnium inseparabilis comes paulo accuratius examinetur; qui, si obtusus, premens & fixus observatur, pituitosam obstructionem partis subjacentis utplurimum prodit, febremque catarrhalem quandoque habet comitem. Si dolor hic, subito existens, abdominis ambitum hinc inde occupat, a violenta flatuum in intestinis extensione, sanguinisque cursum in iis impediente oritur. Si sensim increscit doloris cujusdam prementis & obtusi species, & per tempus aliquot in eodem loco permanens sentitur, tumoris in parte vel viscere, paulatim collecti, vel etiam scirrhi ibi subsistentis indicium est. Si vero dolor vehemens acutus, pungens & lancinans observatur, stasin cruoris inflammatoriam in vasculis sanguiferis ultimis manifestat, pars affecta tunc ex situ & structura in corpore cognoscenda, febrem continuam inflammatoriam ut plurimum comitem habet. Quod si autem pulsans simul adparet acutus & lancinans hujusmodi dolor, tunc tensio dolorifica in illis partibus subsistit, ubi arteriolæ pulsantes in finibus obstructæ basin osseam nactæ sunt, quemadmodum illæ periostei, ligamentorum & tendinum circa juncturas, unde dolores acerrimi in cephalalgiis, arthritidis quibusdam speciebus & præcipue in podagra deprehenduntur. Dolores prementes obtusi sed vagi ambulantes quasi, mox hunc mox alium locum occupantes, a pituita catarrhali originem nacti,

mediam musculorum carnem utplurimum infestantes, sub rheumatici doloris adpellatione cogniti sunt. Illud vero dolorum genus, quod subito sæpius, sine causa morbi manifesta corpus aggreditur, notabilem simul functionum vitalium imprimis debilitatem vel trepidationem inducens, pulsus & respirationis mutationem subitam manifestans, in nervis vel illorum origine cerebro aut cerebello hærere, spasmodicæ harum partium nervosarum stricturæ produnt; quæ, prout universaliter vel particulariter constrictiones exercent, epilepsias, convulsiones partium quarumdam, passiones hystericas & hypochondriacas &c. inducunt, a sanguinis abundantia, defectu vel acrimonia introducta, originem ducentes. Alia insuper doloris species, nervorum texturam & actionem quasi suffocans in febribus malignis epidemice grassantibus percipitur, cum dolor gravis comprimens, motuique & actionibus resistens, totam corporis compagem omnesque artus occupat, functiones viscerum in hunc gradum debilitando, ut in vitæ discrimen incidat ejusmodi æger, antequam medicinæ faciendæ occasio conceditur, nempe cum miasma sive noxium illud, morbum efficiens, in nervorum staminis altius radices egit. Digressionem hanc de dolore, in morbis fere omnibus obvio, non superfluum fore existimo, quia morborum diagnosi eruendæ maxime conducit.

Ex corporis itaque structura functionibusque læsis per signa recensita morborum diagnosin perfecte cognoscere, Ariadnes filum esse credo, quo Medici rationales ducuntur leniendis medendisque morbis per remedia appropriata opem ferre; sed medicaminum plane innumerabilium farrago, quem per tot secula experientia quidem parcius, opinio & præcipitantia vero sæpius introduxit, ancipitem plane reddit Medicum

imprimis juniorem, quænam scilicet remedia ad morbum quem tractat laudata, eligere, quæque relinquere debet. Accedit, quod ex accuratiori studio, in morborum phænomenis observandis, neglecto, sæpius medicamento ægri porrecto adscribatur id, quod vitalium naturæ actionum, ex legibus motus in sanguinis massa effectus fuit. Aliam adhuc fallaciæ hujus rationem subesse autumo, nimirum operatio sæpe contraria, remedii cujusdam diversis ægrotis in eodem morbo exhibiti, cujus tamen ratio in ætate, sexu, temperamento, vitæ genere, ἰδιοσυγκρασία abscondita latens inquirenda. Plura hic monenda, quæ de medicamentorum simpliciumvitiosa collectione & selectu, eorumque pharmaceutica vel chymica præparatione debita neglecta dicenda forent, lubens omitto, ut & abusum istum, nulla venia dignum, quem Empyricorum more, Medici quandoque magni nominis committere non erubescunt, dum medicamentorum compositiones, quamvis utplurimum triviales, ex lucri, potius immodica, quam charitatis cupidine commoti, sub specioso medicinæ universalis vel polychrestæ encomio, non vili certe pretio vendunt, quibus promissis fidem adhibens ignarum vulgus, ultra nummorum, etiam sanitatis & vitæ ipsius jacturam sæpius patitur.

Hisce consideratis, adserere ausim, me, multa experientia veritatis hujus omnino convictum esse, quod major ægrotantium numerus, ex remediorum abusu & copia, quam ab illorum defectu vel inopia vitam amittant, nihilque per multos jam annos mihi magis in votis fuit, quam ut scientiæ artis salutaris cultores, ad illam veterum, maxime Hippocratis, in præscribendis remediis, simplicitatem, animum sedulo velint advertere, ne tot inconcinnis sæpe medicamentorum

compoſitionibus ægrotos obruant, & poſthabitis in ſecernendo & excernendo naturæ motibus, criſes expectandas impediant, ſicque morbum, quem exſtirpare tentant, atrociorem ſæpe vel penitus inſanabilem reddant; ex accuratioribus vero, in morborum medela inſtitutis obſervationibus convicti percipient, non a remediorum copia, ſed ab illorum ſelectu & adminiſtratione requiſita ſanationem morborum pendere. Selectus vero eo redit, ut virtutem ſimplicium medicamentorum ſpecificam ad hunc vel illum morbum ſanandam, a Creatore ſapientiſſimo huic vel illo remedio conceſſam, eruere tentemus; hunc in modum effectus & vires ſpecificæ argenti vivi, chalybis, opii, Peruviani corticis, Nitri &c. in morbis quamplurimis innotuit, & non dubito temporis ſucceſſu & diligentia probe adhibita, ſpecificas aliorum quoque remediorum ſimplicium virtutes fore detegendas; cautum enim eſſe a ſummo rerum conditore arbitror, appropriata omnium morborum remedia in rerum natura exiſtere, modo mortales per experimenta idonea, obſervationesque debitas in hiſce detegendis multum laboris & operæ inſumere vellent, nec ſe deterrere ſinant, licet Hippocrates experimentum periculoſum & judicium difficile declaret in hac brevi vita & longa arte, occaſionem ut ut celerem nihilominus arripiendam eſſe exiſtimo.



DE FEBRIBUS
IN GENERE.

SECTIO II.

CUm omnium morborum maxima pars, febrem habeat comitem, ita ejus vera indoles & exiſtendi modus exactam præ reliquis meretur indagationem; mira quidem apud Autores hac de re diſcrepantia occurrit, ſive ortum febris ejusque cauſam proximam, ſive ſedem & ſymptomata nonnulla illam concomitantia, ſpectes; ſed in litibus illorum enumerandis tempus conterere ſuperfluum duco, cum ex phænomenis omnium ſimpliciſſimis edoctus ſim, febrem tunc in corpore humano exiſtere, quando pulſus naturali celerior vel frequentior & ſimul functionis, viſceris aut partis cujusdam læſio vel debilitas deprehenditur; ex omnibus reliquis ſymptomatibus, diverſas febrium ſpecies concomitantibus, plura aliquando adeſſe vel etiam omnia abeſſe quandoque poſſunt, febre nihilominus ſubſiſtente; quare pulſus celeritas conjuncta cum functionis cujusdam in corpore læſione, ſignum eſſentiale & pathognomicum febrium conſtituit.

Omnibus vero artis peritis jam dudum innotuit, quod pulſus celeritas contractionis cordis velocioris cauſam agnoſcat, & quod hujus contractionis velocioris cauſa pendeat ab influxu velociori reciproco nervoſi liquidi in cordis muſculos, ſimulque a ſanguinis venoſi in cordis ventriculos velociori irruptione ad fre-

quentiorem nimirum conſtrictionem, cava cordis irritando. Nemini porro latet, quod febris ab interna cauſa ortæ acceſſus vel ejus initium, ſe manifeſtet vel inchoat ſemper cum rigore vel horripilatione, pulſu frequentiore & calore vel æſtu ſubſequente; quæ phænomena, quoad gradum vel durationem vehementiora vel remiſſiora, aut penitus diſparentia ſed de novo iterum irruentia eſſe poſſunt, pro febrium diverſarum ſcilicet natura & indole.

Horripilatio, frigus, tremor, prima febris ſe manifeſtantis ſymptomata, in tota plerumque corporis ſuperficie deprehenſa, ſanguinis circulantis interruptionem vel moram in cutis vaſculis, partibusque muſculoſis ſubjacentibus indicant; orta hæc phænomena, ſine dubio, a ſpasmodica fibrillarum conſtrictione, vaſcula harum partium minima coarctante, & liquida verſus majora vaſa interiora retropellente. Spaſticæ hujus ſtricturæ præſentiam ſatis manifeſtare videntur fibrillarum iſtæ, inter conſtrictionem & relaxationem ſubitam occurrentes vacillationes, contra voluntatem ægroti ſibi mutuo ſuccedentes; pro cauſa vero agnoſcunt obſtruentem materiam, quæ vel vaſcula minima ſuffocat & liquidorum circulum in iis impedit ut in plethora, vel quæ acredine ſua fibrillas vaſculorum irritat & in conſtrictionem cogit.

Ex cauſis hiſce proximis enumeratis, ſanguinis verſus majora vaſa retropulſio, ſenſim aucta illorum arcta repletio & diametrorum eorum extenſio inſequi neceſſario oportet; conatus vero reactionis fibrillis vaſorum congenitus, motum majorem & validiorem in ſanguine propellendo excitat, qui ad cerebrum cum impetu delatus, liquidi nervei ſecretionem augendo, majorem ejus copiam ad organa vitalia & cordis nervos dimittit, hinc validior cordis conſtrictio, moti

vero ſanguinis in cordis ventriculos irruentis impetus, dilatationem ejus ilico reſtituit & irritatione ſua, conſtrictiones æque ac dilatationes reciprocas ſibi mutuo ſuccedentes, promovet; quo neceſſario ingens globulorum ſanguinis attritus inter ſe & ad vaſorum latera efficitur, unde calor ille febrilis, frigus prægreſſum excipiens, neceſſario ſubſequi debet. Hinc a reſiſtentia obſtructi contra ſanguinis motum auctum, cordis & arteriarum pulſus elevatur & frequentior fit, vaſa a ſanguinis preſſione tenduntur, unde dolor, capitis imprimis, percipitur, ut & anxietas illa moleſta efficitur, cum ingens cruoris preſſio in pulmonum vaſculis reſiſtentiam fere inſuperabilem nacta, reſpirationem quaſi ſuffocat. Vehemens calor porro, a valida iſta cruoris reſiſtentia protractus, liquidiſſima expellit, reliqua inſpiſſat, ſecretiones & excretiones valde turbat, ſpaſticas ſtricturas auget, unde nauſea, ructus, flatus, vomitus, diarrhœæ quandoque, motus convulſivi ſæpe, & deliria aliquando, paroxyſmo diu ſubſiſtente, tanquam febris vehementioris ſymptomata non raro percipiuntur. Indeque ratio patet, cur motu ejusmodi ſanguinis vehementiori perdurante, reſiſtentia materiæ peregrinæ, febrem efficientis denique ſubigitur, & coctio illa veterum Medicorum efficitur, qua, apta materies illa redditur, ut critica evacuatione eliminari poſſit.

Tempus vero, quo commorari ſolet febrilis ejusmodi acceſſus, pendet a citiore aut tardiore cauſæ proximæ antea memoratæ diſſipatione; nimirum illa, vaſcula minima obſtruens materia, quæ ſanguinis maſſam in majoribus vaſis in motum febrilem concitaverat, quando motus hujusmodi impetu ſenſim diſſolvitur, corrigitur & cruori iterum aſſimilatur, aut ſubacta & cocta ſecernitur & critice evacuatur, cir-

culusque ſanguinis in locis obſtructionem paſſis denuò reſtituitur ; tunc demum, ceſſante febrili ſanguinis velociori motu, febris quoque integre ceſſat & auffertur. Sic tempus durationis hujusmodi febrilis acceſſus, febrium differentias conſtituit, quæ nunc ſub diverſis nominibus unicuique, etiam lippis & tonſoribus notæ ſatis ſunt, quæque animum advertendo facile diſtinguntur; nempe ſi materiei febrem cauſantis expulſio completa, viginti quatuor vel triginta horarum ſpatio penitus abſolvitur, tunc illa febris *ephemera* ſive unius diei vocatur; ſi ultra protrahitur, pro vigore & ſymptomatum adparentium indole, diverſa nomina accepit, quæ ſub febrium continuarum appellatione comprehenduntur, omnesque febrilis materiei lentam ac tardam reſolutionem, pro cauſarum ſcilicet natura, monſtrant, uti ſunt *Synochus ſimplex*, ſeu Ephemera plurium dierum, & *Synochus putris*, quas febris ſpecies græci Medici Συνοχὃς dixerunt ſeu *continentes*, (ad veteres ſcriptores intelligendos magis, quam ad praxim medicam utilis diſtinctio). Denique *febris ardens* inter febres hasce continuas locum vindicat, & certo reſpectu etiam *febres acutæ inflammatoriæ, catarrhales malignæ epidemicæ*, febribus hiſce continuis adnumerandæ ſunt, uti & *lentæ hecticæ.*

Quod ſi vero febris cujusdam acceſſus, intra viginti & quatuor horarum ſpatio decurrit quidem, penitusque ceſſat, poſtea vero iterum redit & ægrotum denuo aggreditur, alia febrium claſſis exiſtit, quam ſub febrium intermittentium nomine indicare conſueverunt Medici; cum vero recurſus ejusmodi febrilis acceſſus non uno eodemque tempore accidat, ſed febres nonnullæ poſt horas 24, reſpectu prioris vel præcedentis acceſſus iterum revertuntur, aliæ poſt 48, aliæ autem 72 horarum intervallo circiter redeunt,

diſtinctio

distinctio harum febrium intermittentium notissima, nimirum Quotidianæ, Tertianæ & Quartanæ dictæ febres suas nactæ sunt dominationes.

Rationem vero recursus hujusmodi febrilis accessus, in corporis nostri structura & in diversis febrem efficientibus causis quærendam & detegendam esse existimo; Nimirum febrilis illa vasorum capillarium sive minimorum obstructio, perdurante primi accessus vel paroxismi febrilis impetu, sensim dissolvitur quando materia obstruens viscida, ex arteriarum ultimarum finibus in vascula venosa arteriis continua, propellitur, sicque circulo sanguinis in arteriis restituto, ejus motus velocitas, quam obstruens materia vitiosa introduxerat, omnino cessat, simulque febrilis calor, spherularum cruoris attritu ortus, utpote nimii motus hujus effectus, cessare quoque debet. Cum vero vitiosa illa, febres efficiens materies, ex arteriis quas obstruxerat semota quidem, ast nondum ex corpore febricitantis eliminata, sed solummodo vasculis venosis tradita fuit, ob viscidam vero hujus materiei tenacitatem, ab axi horum canalium remota, ad eorum latera tarde voluta lente protruditur, venarum quippe structura, quarum diametri, ad coni inversi normam progrediendo semper increscunt, motus hujusmodi tarditatem materiæ tenaci concedunt, quæ ad novos febriles insultus suscipiendos apta utique permanet.

Tenacem autem & viscidam obstruentem febrium intermittentium materiam esse, vel exinde patet, quod illa nunquam arteriarum capillarium fines obstrueret si illius moleculæ facile solvendæ, divisibiles, sanguinis mortui per vasa minima adaptatæ forent. Tenax itaque febrilis hæcce materia, circa venarum latera, uti diximus, lente protrusa, tandem in majores venarum ramos pedetentim collecta, ibidemque, ob horum

D

vasorum dilitabilitatem, nullam tensionem doloris sensum efficientem, reliquens, in truncos venarum maximos, Cavæ scilicet & Pulmonalis cum sanguine effusa, per auriculas cordis, hujus ventriculis amandata arteriis denuo committitur, iisque ad novum per hæc vasa circulum subeundum, traditur. Subsistente autem adhuc hujus materiei lentore, ad circulum per vasa minima subeundum minus apto, similis obstructio uti in priori accessu vasculis hisce continget, eademque febris suscitabitur cum per sanguinis circuitum huc appulsa hærebit febrilis materia. Sed ob viscidam & lentescentem hujus materiei indolem, ad motum magis vel minus aptam, ejus in venis mora aut retardatio diuturnior vel etiam brevior erit; videturque rationem inde reddi posse, cur febris intermittentis novus accessus, secundo, tertio vel quarto die redeat, sicque *quotidianam, tertianam aut quartanam febrem* constituat. Tempus interim febrilis hujusmodi recursus, nullam determinationem exactam, experientia teste, patitur, cum febriles insultus ut plurimum citius raro tardius per horas aliquot revertuntur, vitæ vires, regimen, ætas, temperamentum &c. motum sanguinis accelerant vel retardant.

Accidit in harum febrium decursu aliquando, præcipue si catarrhalis originis sunt, quod obstruens febrilis materia, per accessus robur, ex vasculis obstructis non penitus removeri queat, sed portio quædam immota adhuc remaneat, tunc aliqualis quidem febris remissio sed nondum perfecta ejus exstirpatio insequitur, quoniam soluta, semota & ad venas protrusa obstruens febrilis materia, simulatque per sanguinis circuitum arteriis reddita, & ad loca priora ex parte obstructa adhuc delata fuerit, insultum febrilem denuo augeat necesse est, & si hoc singulis vel alternis diebus

aut post triduum accidit, febrium hocce genus græci Autores Συνεχεῖς dixere, recentiores vero sub *febrium continuo intermittentium* adpellatione, contradictionem quasi involvente, comprehendunt; ita *quotidiana*, *tertiana & quartana, scilicet continuæ remittentes*, denominationes suas acceperunt. Ex his autem quotidiana continua remittens dicta, frequentior occurrit & sub febris catarrhalis simplicis nomine nostratibus venit; nec minus illa, quæ diebus alternis febrilem impetum auget, tertiana continua remittens scilicet, quam sæpius ad febrium catarrhalium classem referendam esse observavi. Cæteroquin exacerbationes ejusmodi febriles non raro *in febribus biliosis* dictis *causa, vel febre ardente*, alternis vel imparibus diebus observandæ offendimus, imo *febres lentæ & hecticæ* hujusmodi exacerbationes quotidie ut plurimum monstrant, maxime post pastum.

Cum febres hæ continuæ æque ac intermittentes, quarum denominationes & differentias hactenus indicavi, serum vel lympham vitiatam, bilem aliosque humores excernendos, uti & ingesta noxia, cruori mixta, ejusque circulum impedientia, pro causa προκαταρκτικὴ sive proxima agnoscant; alia adhuc restat febrium continuarum classis sub acutarum nomine comprehensa quarum causa proxima in cruore ipso, sive globuli, partem sanguinis rubram constituentibus, producitur; nimirum si a causa quacumque remota cruor cum impetu ex arteriis suis ultimis in vasa lateralia minora, secretionibus utplurimum dicata, protruditur, in hisce, ob eorum angustiam, & diametrum continuo decrescentem, hærere cogitur ibique congestus, obstaculum ponit circuitu sanguinis huc delati; cum vero elasticarum arteriarum pressio a tergo, retrogressum liquidi obstruentis seu resolutionem obstructi difficillima red-

dit, oritur inde vehemens pressio & accumulatio globulorum cruoris, partim inter se, partim ad vasculorum latera retinentia, quorum pellucidæ expansiones *ruborem*, tensiones *dolorem*, attritus *febrilem calorem*, conjuncta vero tria hæc symptomata, *inflammationem* constituunt, unde fertilissima febrium classis resultat, ægrotis admodum periculosa, Medicis vero molestissima, qui proinde febribus ab inflammatione ortis nomen *acutarum febrium* imposuerunt, quæ omnes, quas cruor irrigat, humani corporis partem inflammationi suscipiendæ aptas, infestare & sedem in iis figere possunt.

Præcipuæ & magis obviæ sunt inflammatoriæ febres sequentes: in cerebro & meningibus existunt *Phrenitis*, in faucibus *Angina*, in pectore *Pleuritis & Peripneumonia*, in diaphragmate *Paraphrenitis*, in jecore *Hepatitis*, in renibus *Nephritis*, in intestinorum tractu *Dysenteria*, *Ileus*, *Volvulus*, in juncturis *Arthritis*, in media musculorum carne *Rheumatismus* &c. quæ omnes artis etiam imperitis satis cognitæ sunt; Nec penitus hic omittendi sunt febriles ejusmodi insultus, ubi inflammatoriæ stases simul concurrunt; nimirum in *Ophthalmia*, *Otalgia*, *Odontalgia*, *Panaritio*, *Hæmorrhoidibus cæcis*, nonnullis Vulneribus, Ulceribus, Fracturis, Luxationibus & partibus adhuc aliis, quæ inflammatorias febres habent comites, & quæ ab illis symptomatice nonnunquam aggrediuntur.

Agmen denique acutarum febrium claudunt *malignæ istæ contagiosæ, & epidemice ut plurimum grassantes febres*, quæ materia invisibili quadam sed agilissima & halituosa quasi ab effectu solummodo cognoscenda, functiones maxime vitales nimirum Cerebri, Cordis & Pulmonum subito infestant, unde insolita & repentina virium prostratio, animi abjecti vacillatio, pulsus

debilis, parvus, quandoque frequens, commotiones febriles languidæ, reſpirationis laborioſa difficultas, cum agrypnia & mentis alienatione utplurimum conjuncta, in ægrotis ejusmodi obſervantur; Quæ phænomena, plus quam periculoſa, haud obſcure indicant principium iſtud materiale longe ſubtiliſſimum & penetrantiſſimum, quando febres hujusmodi apparent, in corpore ægroti jam extitiſſe, hujusque indolis eſſe, ut in cerebri & nervorum ultima penetralia & receſſus ſe velociſſime inſinuando, vitales nervorum actiones, motum cordis & arteriarum, ſimulque fibrarum innatas ab irritatione ſtricturas, omnino debilitet & quaſi ſuffocet, ita ut vitæ quidem adhuc ſubſiſtenis ultima conamina vix ſufficiant, febrilibus continuatis ſed languidis motibus, materiam iſtam noxiam, quam *miasma* vocant, excutere & ad cutis ſuperficiem protrudere, ubi ſub *exanthematum* nomine quandoque adparet & ſanitatis recuperandæ ſpem quodammodo facit. Interim exanthematum, in febribus hisce malignis ſæpius apparentium diſſimilitudo, diſtincta illis nomina impoſuit unicuique fere pertimescenda, nimirum *purpura alba, rubra, variolæ, morbilli, febris petechialis, hungarica, caſtrenſis, carbunculi peſtilentiales &c.*

Cognita omnium febrium cauſa proxima, quæ in ſanguinis circuitu hinc inde impedito, cum functionis cujusdam partis debilitate vel læſione ſtipata conſiſtit, ad *cauſas febrium remotas* obiter indicandas progrediendum, quæ ex veterum Medicorum obſervationibus perpetuis jam dudum innotuerunt, cum febrilibus inchoandis motibus occaſionem præbeant, & acceſſui ſeu paroxysmo febris viam quaſi ſternant. Cauſarum itaque remotarum numerus, cum ingens valde ſit, in ita dictis ſex rebus Nonnaturalibus vitiatis, illas potiſſimum reperiiſſe crediderunt obſervatores veteres, nimi-

rum 1) in aere, effluviis noxiis impraegnato; 2) in cibo & potu inconveniente, vel nimio, aut etiam deficiente, reliquisque ingeſtis acribus ſub medicamenti vel veneni titulo; 3) in motu corporis exceſſivo vel quiete nimia; 4) in ſomno & vigilia excedentibus; 5) in retentis intra corpus quae excerni debebant, vel excretis nimiis quae retinenda erant; 6) denique in animi patematibus inſolitis vehementioribus. Cauſis hisce remotis praeterea adnumerandae adhuc veniunt varia peregrina nociva, intra corpus noſtrum a morbis aliis praegreſſis exiſtentia ibique relicta, uti ſunt pus, ichor, ſanies ab inflammatione, gangraena, ſphacelo, carcinomate empyemate praegreſſis; vel ſerum aut lympha corrupta in leucophlegmaticis, aut bilis accumulata, obſtructa, retenta, in cacôchymicis & hypochondriacis ſubjectis, ſic & pituita viscida, tenax, in bronchiis, faucibus, narium membrana, aliisque glandulis coaſervata, in phlegmaticis, flaccidis & relaxatis corporibus. His accedunt adhuc varia acria, pungentia, rodentia, urentia, corporis ſuperficiei externe adplicata, & quae diſtendendo, lacerando, frangendo, partes corporis exteriores laedunt, quae in ſpeciali febrium explicatione ulteriorem merentur conſiderationem.

Quod ſi quis cauſas, initium, incrementum, ſtatum, decrementum & criſim febris cujusvis probe obſervat, illi prognoſim vel judicium de exitu ejus ferre, haud difficile erit; Omnibus enim artis cultoribus conſtat, febres quascumquae deſinere vel terminari vel inſanitatem perfectam, aut in alium morbum vel in mortem. Quando vitae vis ſive actio materialem & obſtruentem febris cauſam ita diſſolvit, comminuit, fluidamque reddit & mobilem, ut ſanguinis maſſae aſſimilari iterum poſſit, nulla evacuatione ſenſibili ſubſequente, febris tunc absque criſi manifeſta disparebit. Sed ſi

materies illa dissoluta & mobilis a sanguinis circulo segregata, ad cutis superficiem, vel ad ventriculum & intestina, aut ad renes delata secernitur, tunc sudoris profluvium, vomitus, diarrhœa, vel lotium copiosum emissum, solvere febrem critice solet, prægressa scilicet prius coctione sive præparatione debita materiæ morbosæ ut ad evacuandum apta existat, alias evacuationes ejusmodi, criticis minime adnumerandæ sunt, id quod in febribus intermittentibus toto die observamus, ubi vomitus & diarrhœæ sæpius febrem non mutant, & sudor imprimis accessum quidem quaqua vice terminat, sed febrem minime tollit; sic prægressa præparatione febrilis materiæ debita, Ephemera, Synochus simplex, quotidiana continua & remittens sive catarrhalis simplex, ut & tertiana maxime vernalis, observato probæ vitæ regimine, interdum nullis, vel etiam paucis in subsidium vocatis remediis, critice solvuntur & penitus cessant relicto postea corpore sano.

Hinc patet quoque cur febris sepæ aliorum morborum optimum existat, remedium, etenim nemini artis perito latere poterit, maximam morborum partem, a vasculorum obstructionibus cruoris circuitum impedientibus, & proinde functiones partium debilitantibus originem repetere; æterna autem ista circulationis humorum lex, in corpore humano subsistit & deprehenditur, quod tunc auctior & intensior motus in vasculis apertis excitari debet, quam primum vasorum quædam portio, sanguini trajiciendo, per obstructiones existentes impedimentum offendit, per hocce autem motus augmentum erga obstructum indesinenter agens, materiei compactæ dissolutio non raro subsequi solet, morbique incipientis æque ac jam facti causa proxima, quæ in obstructione vasorum

conſtitit, hoc modo diſſipari poteſt; ſic Hemiplegiæ, Paralyſes, Rheumatismi, Arthritides, Hypochondriacæ obſtructiones, & multi affectus alii, febre ſuperveniente feliciſſime ſæpius, teſte experientia tolluntur; ſimulque patet ratio, cur Medici longe celeberrimi febrem ita definiendam ſtatuunt; quod ſit conamen naturæ providæ, per ſanguinis auctiorem & intenſiorem motum, materiam vitiatam morbiferam, ex corpore eliminare, & ſanitatem vi motus hujusce febrilis iterum reſtituere.

Porro in alium morbum, uti ſuperius dixi febris quandoque deſinit, & hoc ex triplici imprimis cauſa; 1) ſi actionum, vel functionum vitalium vis, vel ex conſtitutionis debilis, aut ætatis teneræ vel exhauſtæ vitio, vel ex vitæ regiminis male ordinati perturbatione, vel denique ex febris cauſa, fere inſuperabili, obſtructiones iſtæ febres efficientes penitus diſſolvere & integre ex corpore protrudere minime ſufficit, tunc obſtruentis febrilis materiei pars, intra corpus remanens, a cruoris circulantis mole ſegregata, in hoc vel illo viſcere aut corporis parte adpulſa hærebit, quam debiles & fere exhauſti febriles motus ulterius propellere nequeunt, ita functionem partis quam occupat debilitando, novo morbo, utplurimum chronico fomitem præbet. 2) Si vitalis functionis vi & actione, cum febris diu durat & protrahitur, fluidiſſima maſſæ ſanguinis parte diſſipata, remanens reliqua inſpiſſata, & ad circulum per vaſa capillaria minus apta obſtructiones alicubi in ægroti jam debilitati corpore creabit, functionemque illius, qua hærebit partis lædendo, morbum chronicum novum neceſſario producet; hinc tumores viſcerum, & partium glanduloſarum indurationes ſcirrhoſæ originem repetunt. Ita quoque a vi functionis vitalis nimia, vaſcula minima dilatata,

attrita, disrupta, secessum cruoris inflammatorium, maculas rubras, ecchymosim, erysipelas, phelgmonem, producere valent; qui affectus omnes utplurimum crisi febrium imperfectæ adscribuntur. 3) Inconsulta & intempestiva motuum febrilium, per medicamenta febrifuga suppressio, priusquam causa febrium materialis correcta & ex corpore expulsa fuerit, morbos chronicos contumacissimos efficit & sæpe insanibiles; pessimos hos effectus sub criseos imperfectæ velo abscondere tunc solent circumforanei & ignorantes Medicastri, ut ignorantiam & fraudes occultent quodammodo ægrotis. Optandum interim foret quod fraus illa solummodo inter Empiricos subsisteret, quorum bona fides, etiam penes ignarum vulgus, suspecta esse solet, sed Proceres & principes Fœminæ nonnullæ, existimationem inde acquirere & merita sibi parare credunt, si remedia quædam, quorum virtutes ignorant, ad febres cohibendas in vulgus dimittunt; sed omnes qui hacce febres sistendi rabie affecti sunt, monitos velim, ut hoc secum reputent, ipsos pessime omnino sua quæ putant benefacta in vulgus collocare, cum ex febrium ejusmodi intempestiva suppressione, morbi, febribus pejores utplurimum excitentur, ita ut plus damni quam emolumenti resultet ex hoc inconsiderato charitatis officio.

Denique in mortem febris aliquando desinit, si sanguinis massa, a pessima quadam febrili materia adeo corrupta & depravata fuerit, ut viscera, quæ vitales functiones in corpore nostro exercent, lacessita, debilitata & partim obstructa deprehendantur, adeo ut vitæ vis excutiendæ febrili materiæ penitus impar sit, quo fit, ut reliquæ naturales æque ac animales corporis actiones quoque fractæ, sensim exstinguantur; hunc in modum pereunt utplurimum ægroti febribus

malignis epidemice grassantibus correpti, mediante contagioso nimirum miasmate illo febribus hisce proprio. Præterea quoque febrium quarumdam species mortifera deprehenditur, cum vitæ vis & actio, a nimis valida, febrem excitante causa, adeo intenditur, ut impetu febrilis motus diutius protracto, cruor in vascula minima fortissime impulsus, illa penitus obstruat & pressione nimia dissolvat ac destruat; hinc pessimæ febris inflammatoriæ ortus, quæ in supurationes ingentes, gangrænam, sphacelum & mortem desinit.

Ex succinta hactenus febrium differentiæ & indolis consideratione, cuilibet artis indagatori, non valde obscurum aut difficile erit percipere, omnem sanguinis febrilem motum in humano corpore eum in finem excitari, ut obstructionis sive circuli sanguinis hinc inde impediti causa quæ motum febrilem excitaverat, dissoluta iterum & mobilis reddita, ex corpore quantocius eliminetur. Observatione autem & experientia constare novimus, omnem innocuum & felicem febrium exitum pendere a criticis evacuationibus, post debitam febrilis materiei præparationem seu coctionem stato tempore adparentibus, directrice scilicet natura sive vitalium & naturalium functionum motu. Criticæ vero evacuationes hujusmodi in secretoriis vasculis Stomachi, Intestinorum, Renum & Cutis utplurimum accidere omnibus constat; aliquando ex vasis quoque sanguiferis dilatatis aut perruptis criticæ ejusmodi solutiones procedunt, unde vomitus, diarhœæ, lotium, sudor, narium hæmorrhagia, hæmorrhoides fluentes, febres cum euphoria utplurimum dissipant.

Resultat inde simplex & naturalis indicatio febrium curationis & medelæ; Omne enim obstruens sive impedimentum sanguinis circuitus in vasis quibusdam,

utpote febrium causa proxima, dissolutionem impacti obstruentis poscit. Interea si obstructio ab infractu cruoris nimio sive plethora originem repetit, tunc diminutio ejus, per sanguinem ex vena missum, ad avertendam stasim inflammatoriam, statim sub morbi initium requiritur. Ita quoque primis post febris accessum diebus, vomitum vel diarrhœam excitans remedium prodest, quando ventriculus aut intestina, vel a nimia ingurgitatione distenta, meseraica vasa comprimendo sanguinis circulum in his locis impediunt, vel si ab acri rodente cibo aut potu ad digerendum incongruo, fibrillæ harum partium in spasticam stricturam commotæ, vasa minima coarctant, & sic cruoris circulo obicem ponunt.

In reliquis autem febrium causis dissipandis, lento magis gradu procedendum est; etenim si tenax & viscidus cruor impedimentum in vasis minimis offendit, & inde febrilem obstructionem producit, diluentibus & dissolventibus medicamentis adhibitis, compacti resolutio & natura crisis placide expectanda; quibus auxiliis simul acrimonia, spasmodicam febrium in frigore constrictionem introducens mitigatur, & nimius inde resultans fibrillarum elater sive tonus, si in causa est, relaxatur, maxime si diluentia simul emollientibus conjuncta adhibentur. Quod si porro in ægroti corpore nimium flaccido, febrilis obstructionis causa in vasorum fibrillis relaxatis detegitur, tunc diluentibus & resolventibus medicamentis, roborantia & elaterem fibrarum restituentia, subadstringentia, terrea, amara, admixta, omnino proficua erunt &c. Qua methodo generali simplicissima, veteribus adeo commendata, febrium materialis obstruentis causa proxima, diluendo & resolvendo mobilis redditur, ut vitæ cæteroquin regimine & diæta probe observatis, naturæ crisis stato,

& pro febris cujusvis indole consueto tempore subsecutura, febrem solvere possit, debita insuper cautione adhibita, ut ad diversa febres concommitantia symptomata amovenda attentio dirigatur; de quibus in speciali febrium tractatione, id quod requiritur, monendum erit.

Sed methodus hæc obsoleta, ab usu remota, a recentioribus Medicis fere neglecta aut rejecta deprehenditur, qui remediis statim heroicis febres vix apparentes aggrediuntur, & neglectis ad investigandum causis proximis, vel nimia sanguinis detractione per venæ sectiones repetitas, vasa minima collabascere & secretiones infringere permittunt; vel vomitus, diarrhœas, aut sudores cientibus medicamentis fortioribus per brevia intervalla adhibitis, fluidissimam sanguinis portionem expellunt, remanentem inspissant, sicque febrilem materiam hærentem figunt, & novis obstructionibus adaugent; vel denique specificis febrifugis remediis febriles motus sistendo, lupum intra ovile occludunt, & sic morbos chronicos febribus longe pejores introducunt, id quod meo quidem, sed ægrotantium majori damno ipse olim expertus sum; quare febribus medendis earumque radicalem sanationem obtinendam, cunctando, & naturæ motus observando plus perficitur quam medicamentorum evacuantium nimia, & febrifugorum intempestiva applicatione.



DE FEBRIBUS
CONTINUIS.

SECTIO III.

OMISSA veterum & recentiorum quorumdam ſubtili magis quam in praxi medica valde utili diſtinctione, inter febres Græcis συνόχους, latinis *continentes* dictas, quæ ſine motuum febrilium remiſſione, ad morbi exitum usque uno tenore perdurant, & inter συνεχεῖς ſive *continuas*, in quibus, febre licet continuata, remiſſiones quædam fervoris febrilis obſervantur; utramque claſſem ſub una videlicet febrium continuarum adpellatione breviter conſiderabimus.

De Febre Ephemera.

GRæcum ἐπὶ & ἡμέρα, febri hujus claſſis omnium ſimpliciſſimæ, Ephemeræ dictæ, nomen impoſuit, quippe nycthemero, ſeu 24 horarum ſpatio, vel quæ ſecundum Celſum diem noctemque acceſſione & deceſſione implet, regulariter terminatur. Vulgo ſat frequens, Medicis autem rarius febris hæcce occurrit, cum ordinario citius decurrit antequam Medici officium imploratur; Materialem febrium cauſam, in ſanguine vel ſolidis partibus hærentem non agnoſcit. Cruoris autem motus vehementior febrili æmulus, a cauſa quacumque, imprimis ſex rerum nonnaturalium vitio ortus, ephemeram introducere poteſt. In plethoricis, media ætate conſtitutis utplurimum depre-

henditur, mox ab aere æſtuante & motu corporis exceſſivo, vel a crapulis & diætæ vitiis, aut vigiliis a nimia lucubratione ortis, ut & a gravioribus animi affectibus, indeque corporis quibusdam functionibus turbatis, maſſa ſanguinis in violentiorem motum rapta, aliquam ſui portionem ſuperfluam motibus hujusmodi febrilibus diſſolvere, comminuere, & critice per ſudorem imprimis copioſum ex corpore eliminare cogitur; ubi ſimul, per febrilem huncce cruoris motum, urina in ſuo ſedimento turbido ruffeſcente, morbum huncce ſublevaſſe videtur. Quibus binis ſecretionibus copioſis, febriles motus ſtato tempore ceſſant penitus, modo æger durante æſtu per potum aquosum, ſudori & lotio vehiculum ſuppeditare haud omittat, & medicamenta calefacientia cum evacuantibus fortioribus recuſet.

De Synocho ſimplici.

FEBRIS hæcce *continua*, vel ſi mavis *continens*, quam Synochum ſimplicem Galenus & veteres Medici vocant, ratione cauſarum a priore parum differt; quare in Scholis eorum nomen *ephemeræ plurium dierum*, quamvis incongrue, accepit. Cauſæ memoratæ graviores prioribus, & contumaciores videntur adeſſe. Ab autoribus quibusdam aſſeritur quidem, hancce febrem, ut & ephemeram, ſtatim cum æſtu accedere absque ullo notabili frigoris prægreſſi ſigno; & in eo maxime poſuerunt inter febres continentes & continuas dictas differentiam; ſed ex meis, de hisce febribus captis obſervationibus didici, ephemeram ſynochumque ſimplicem, cum horripilationis cujusdam ſenſu ſemper invaſiſſe antequam caloris moleſtia ægrum invaderet, licet poſtea caloris febrilis motus æqualis, ſat vehemens, ad tres, quatuor, raro ad ſeptimum

usque diem protractus, benigna transpirationis difflatione, vel etiam sudoris copiosioris profluvio morbum solvat. Pulsus æqualis, plenus, celer sed mollis, facies rubra inflata conspicitur, & de capitis dolore pulsante conqueritur, inquietudinis molestia vexatus æger, cibi fastidium supplet potus desiderium, somnus cæteroquin adest brevis & valde interruptus.

Quies, abstinentia, expectatio, cum vitæ regimine debito, medicamentis interim diluentibus & refregerantibus adhibitis, morbum cohibent; quo scopo decoctum hordei aut avenæ, vel radicum scorzoneræ, graminis &c. quibus acidum; citri admiscendum, una cum pulveribus nitrosis interpolatis, conveniunt. Quod si interim ephemeræ febris, signa ultra diem unum protracta, Synochum simplicem invasisse monstrant, & æger plethoræ præsentis indicia, imprimis faciei inflationem rubicandam cum cephallagia vehementiore manifestat, tunc sanguinem abundantem ex vena secta educere consultum erit, quod mea quidem experientia febrem hancce, tertio post accessionem die, ilico dissipavit. In alio ægroto, qui a nimia carnis fumo induratæ ingurgitatione febre hacce decumbebat, purgans valde remedium exhibitum, eumdem effectum præstitit. Cæteroquin exacta febris hujus cognitio, Medicum a remediorum aliorum certe superfluorum prescriptione & administratione suspendet, maxime si ad naturæ conamina critica animum advertit, sic per narium hæmorrhagiam quarto die eruptam, febrem hancce deletam vidi. Aliquando signa hujus febris recensita; cum illis valde analoga deprehenduntur quæ Variolas & morbillos præcedunt, interim venæ sectionem secundo, vel sub tertiæ diei initium institutam, minime nocuisse in adultis memini.

Synochus putris vel Febris continua putrida.

FEBRIUM continentium, veteribus dictarum, summum gradum constituit Synochus putrida, cognomen quod *Galenus* huic febri imposuit. *vid. ejus Method. medendi, libr. 9. c. 3.* Sed ratione originis & causæ, minime convenire huic morbo putredinis cognomentum, quis non perspicit? quamvis ratione effectus, (caloris nimirum excessivi;) corruptionem humorum putrescentem, illi attribuendam certo respectu esse non dubitem, cum sudor graveolens, lotium putridum & alvinæ fæces odorem tetrum spirantes, versus morbi exitum sæpe nares indagantis feriunt.

Cognoscitur autem Synochus putris ex pulsu celeri, forti sed inæquali tam in robore quam in velocitate, ex calore cutis sicco, manum tangentis quasi urente, ex lotio turbido, crudo absque sedimento, ex habitu corporis ægroti plethorico, in mediæ ætatis vigore constituto, ex diæta lauta vitæque inordinato regimine prægressis, ex egestionibus sanguinis denique consuetis suppressis vel neglectis.

Hæc vero ultima febris hujus diagnostica signa, causas simul remotas putridæ synochi indicant, quas cum simplice, synocho quidem communes habet, sed in valde majori gradu. Nempe in simplici cruor in quantitate solummodo peccare videbatur, in putrida vero, cruoris superflui qualitas simul peccat motu vehementiore, inflammatoriam diathesim introducente, & in vasculosa viscerum intricata textura stagnante; Inde rapidus cruoris motus, quem vasa oppilata in appertis excitant, naturalem texturam vitalis hujus liquidi ita mutabit, ut ad corruptionem putridam dispositio brevi emerget, maxime si prognostica signa periculosiora

ſiora in morbi decurſu in dies apparent; quo imprimis pertinent caloris ſicci augmentum, porro pulſus aucta inæqualitas & frequentia, reſpirationis anheloſæ difficultas, debilitatis corporis incrementum, lotii major rubedo turbida, ſomnique perpetua interruptio, mentis inde alienatio, cum ciborum faſtidio invincibili & ſimilia.

Hæcce hujus morbi ſymptomata, ſi tertio & diebus ſubſequentibus augentur, peſſimi omnino ſunt præſagii, dum iis ſæpe ſuccedunt tremuli in extremitatibus ſpaſtici motus, oculorum mox torvus mox luctuoſus vultus, & lotii inſcia excretio, quæ mortis appropinquantis indicia conſtituunt. Quamobrem maxime in hac febre pertimescenda ſanguinis, a naturali ſtatu degenerati & corrupti, in hoc vel illo viſcere appulſa metaſtaſis, quæ ad partem cerebri medullarem delata, motus convulſivos, in cortice hujus viſceris vel ejus involucris phrenitidem, in pulmonibus & pleura pleuriticos dolores & reſpirationem anheloſam, in abdominis viſceribus tenſiones hypochondriorum ſpaſticas, ſymptomatice producit; Ad cutim autem depoſita hæc cruoris diſſoluti corruptio, maculas ſubinde atropurpureas in hocce corporis integumento exteriori pingit, vaſculorum ibi gangrænoſæ deſtructionis indicium.

Ex phænomenis hiſce patet, omnem hujus febris prognoſim pendere a quotidiani ſymptomatum ſtatus augmento vel decremento; Quare Galenus, & poſt eum veteres Medici, in hac febre, continuis reliquis, ratione ſymptomatum decurſus, ſequentem, ad prognoſim ſtabiliendam, diſtinctionem neceſſariam judicarunt. Si febris ab ingreſſu ad finem usque æqualis manet ὁμοτονόν ſeu ἀκμαστικὴν appellarunt, ἐπακμαστικὴν vero, ſeu ἀναβατικὴν quando ſympto-

mata paulatim & indies increscunt, & παρακμαστικὴν cum decrescunt & minuuntur. Ex quibus apparet, prioris febris statum salutarem esse secundam conditionem pessimam fore, tertiam denique sanitatis spem suppeditare.

Monendum desuper hic erit, plurimi recentiorum scriptorum, febrem hancce cum illa maligna epidemice grassante sæpius confundere; quem tamen errorem facile evitare possumus, cum ex practicis observationibus edocti perpendimus, Synochi putris materialem causam proximam in ipsa sanguinis massa, a causis remotis antea recensitis generari & existere, minimeque constare, morbum huncce illis, qui ægrotis subveniunt, communicatum iri; cum e contrario, febrium malignarum epidemice grassantium materialis causa proxima, humoribus nostris ab extra admisceri, eosque sub miasmatis inficientis nomine in vitiatam indolem, malignitatis suæ similem convertere, ita ut ejusmodi humorum corruptio, per cutim aut per pulmones exhalando, alia corpora quamvis sanissima ingredi, similemque humorum corruptelam ilico efficere posse, omnibus constet; id quod purpura, petechiæ, variolæ, morbilli, &c. contagio suo inficiente quotidie manifestant. Interim effectus putridæ humorum corruptionis in febre synocha, similis vel parum diversus esse poterit cum illo epidemicarum febrium, subsistente nihilominus causarum, uti & symptomatum nonnullorum differentia.

Synochi putris sanationem suscipienti, omnino incumbit ut probe examinet, an signa antea recensita, febris hujus præsentiam penitus declarent? Nam si elapso 24 horarum spatio, nulla febris remissione insecuta, symptomatum potius incrementum deprehenditur, tunc ex signis reliquis superius memoratis, cer-

tior redditur Medicus febrem continentem, sive Synochum putridam instare. Quod si itaque pulsus celer & fortis, vigor ætatis, vitæque ante actæ regimen exploratum, de statu plethorico ægroti certiorem reddidere Medicum, vena ilico secanda, & illa sanguinis portio extrahenda, quæ in remanente massa inflammatoriam stasim præcavere possit. Tunc posthabitis omnibus ex carne paratis cibis, potu vinoso, reliquisque fermentatis liquoribus, decocta farinacea ex hordeo, avena, oryza, Radicibus Scorzoneræ, Graminis &c. cum citri succo acida reddita, assidue hauriat æger; insuper omni trihorio nitrum cum Tartaro vitriolato ad scrupuli vel drachmæ dimidiæ pondus adsumat. Si quarto vel quinto die pulsus celerior, inæqualior vel debilior adparet, cutis sicca manet, lingua arida valde & nigrescens deprehenditur, simulque respiratio laboriosa & mentis per intervalla alienatio cum pervigilio, statum hujus febris *epacmasticum*, seu stases nimium exaltati cruoris inflammatorias incipientes in pectore & capite declarant; tunc ad ægrum servandum experientia edoctus, potus aquosos cum acido minerali, nempe spiritu vel etiam oleo vitrioli guttis aliquod acidiores & humorum corruptioni magis resistentes redditos, ægrotis ejusmodi in copia hauriendos præcipio, clysmata emollientia & diluentia sæpius injicienda curo, & ter vel quater de die pulverem ex absorbente citrato granis duodecim, nitri granis octo & Camphoræ granis duobus vel tribus compositum, adsumendum injungo; sic aliquoties expertus sum, hac methodo, ægrotos ab orco quasi revocatos, diebus insequentibus, jam per narium hemorrhagias, aut per diarrhæas graveolentes, vel per lotii sedimenta copiosa, albicantia, lævia & saniosa quasi, insecuta

postmodum cutis perspiratione vel sudore, crises salutares passos esse & sanitati restitutos fuisse.

Sedulo interim monitos velim eos, qui ægrotis hujusmodi medicinam faciunt, ne istis diebus, ubi febris hæc increscit, nec purgantibus fortioribus, neque alexipharmacis concentratis, minime vero sudoriferis exæstuantibus, spirituosis, volatilibus, morbum aggrediantur, quoniam omnia hujus indolis remedia, cum motum augent sanguinis nimium jam moti, necessario dissolutionem ejus putredinosam promovebunt; præterea dispositionem cruoris ad criticas evacuationes unice necessarias disturbando, exitiales brevi producent effectus. Similis expectandus erit mortiferus febris exitus, si per venæ sectionem improvidam vel reiteratam, cruor tunc temporis minuitur, cum pulsus debilis valde, quamvis celer, vitales functiones debilitatas quasi expirantes prodit. Interea regulam hancce exceptionem quandoque pati, expertus sum. Nam recordor, me ægrotum hac putrida febre gravissime decumbentem, sero nimis succurrere coactum fuisse; qui, licet primis morbi diebus statim, sanguinis copiam e vena secta amisisset, nihilominus symptomata huic morbo propria sensim indies aucta adparebant; Die morbi decimo & sexto, periculosa cruoris inflammati & corrupti metastasis, ad ilei intestini lateris dextri portionem delata, inflammatoriam stasim, acutissimos ibi dolores creantem, producebat: Ægro moribundo succurrere efflagitabar; itaque inter spem & metum hærens, anceps remedium melius fore quam nullum mecum perpendens, venam in brachio aperire, & libram circiter cruoris inflammati extrahere jubebam, non omissis clysmatibus blandis emollientibus cum nitro permixtis, per vices injectis, fomentationibusque antiphlogisticis loco dolenti externe appli-

plicatis. His peractis, post horas aliquot dolor acutus paululum remittebat, pulsus antea celer, debilis & inæqualis elevabatur, functiones vitales cum animalibus videbantur confortari aliquantulum. Cum vero hypochondrii dolor sat fortis adhuc subsistens, dissipationem sui ulteriorem recusabat, sanguinis portionem priori similem ex altero brachio die insequente extrahere jussi, clysmatum injectione interim frequentius continuata, alvus per tempus aliquot occlusa, copiosissime solvebatur, sed cum fœtore putrido, cadaveroso, adeo intolerabili, ut adstantes e cubiculo auffugere cogerentur; quo facto dolor in ileo disparebat, & continuatis per dies aliquot remediis congruis antea memoratis, æger, qui in ætatis vigore constitutus, robusti valde temperamenti erat, optime convaluit.

De Febre ardente, sive Causo.

COGNOMEN Causus, febris hæcce a καυω uro a græcis Medicis olim accepit, quia tangenti calorem quasi urentem imprimere videtur. Annumeratur a nonnullis, febribus continuis remittentibus, qui alternis diebus exacerbationes in earum decursu observasse testantur; quæ discrepantia, a febre biliosa dicta, utpote febris ardentis mitiori quodammodo gradu, remissiones ejusmodi sæpius exhibente, orta videtur; quare Hippocrates in Coac. prænot. & Epidemic. l. 3. has febres non καυσους, sed καυσώδεες appellat; Inde tertiana continua biliosis febribus adsocianda videtur. Sed cum febris ardens de qua hic sermo, violentissime invadens, & non minori violentiæ gradu procedens, sæpe tertio aut quarto die lethalis est, septimum autem raro attingit vel transit; remissiones dictas in hac febre dubiosas valde esse, quis non percipit?

Cognoscitur hic morbus, præter caloris urentis gradum antea memoratum, & circa præcordia magis palpabilem, imprimis cephalalgia vehementissima, siccitate arida in tota corporis superficie, lingua aspera, fissa, nigricante, tussicula sicca, respiratione frequentissima, operosa & anhelosa, voce canglosa, siti inexplebili, nausea & vomendi conatibus, inquietudine & anxietate summa, vigiliis perpetuis, sopore quandoque intercedente delirii & phrenitidis præcursore; præterea lotium in parciori copia emissum rubicundissimum & quasi flammeum absque sedimento cernitur.

Inter causas remotas agnoscit febris hæcce periculosissima, corporis in ætatis vigore constituti habitum plethoricum, insecutis delassationibus immodicis, maxime solis æstu absque potu conveniente; porro victum lautum excedentem, imprimis abusum aromatum & calefacientium fermentatorumque liquorum in cibo & potu, ut & veneris usum nimium. His accedunt evacuationes sanguinis naturales vel artificiales consuetæ, suppressæ aut neglectæ &c. Prægressæ hæ similesque causæ, cruorem sistunt quidem superfluum sed a lymphæ fluidissima jactura densum ac spissum redditum, qui per ultimas arteriarum in visceribus reliquisque corporis partibus angustias libere transire nequiens, attritum vehementiorem, caloris febrilis summum gradum efficientem, patitur, unde inflammatoria sanguinis diathesis necessario emergit. Cruor itaque per ingentem vasorum minimorum partem circuitus sui obstaculum offendens, in illis quæ adhuc aperta manent, tanto majorem motum & attritum, in ratione vasculorum obstructorum resistentia, subire debet, unde valida & præternaturalis, partium cruorem constituentium, dissolutio existit, qua blanda oleosarum pinguium cum salinis & subtilissimis terreis

moleculis cohæsio separatur, pingues autem salinæ, ex sale culinari constantes particulæ, per motum vehementissimum inter se & vasculorum latera propulsæ adeo attenuantur & subtilisatæ exaltantur, ut alcalinæ volatilis salis corrumpentem acrimoniam acquirant, quæ motu febris violentiori continuato vasa secretoria subtilissima destruunt, unde sanguinis quandoque eruptiones, in sputo & in lotio imprimis se manifestantes, proveniunt. Accidit aliquando partem quamdam cruoris (postquam lymphæ & seri subtilissimam portionem, motu hujus febris intensissimo amisit, & in coagulum spissum coacta in abdominis visceribus, lienis imprimis accumulata hæret) illam sub bilis atræ nomine a veteribus insignitam, non raro excretam, vel post mortem repertam fuisse, unde evenit, quod febris ardentis causa proxima bilis accensæ & corruptæ adscripta fuerit; Hippocrates lethale signum declarat, si febricitanti atra bilis sursum aut deorsum proderit. Vid. Coac. prænot. p. m. 527. Edit. Linden.

Hisce visis & perspectis, quis non percipiet gravissima symptomata febrem hancce concomitantia, utplurimum periculosissima, sæpe vero lethalia in ejus decursu existere debere. Practicæ observationes accuratius notatæ & reiteratæ monstrant, febrem ardentem septimum diem rarissime transire, cum illa non raro, jam tertio vel quarto die ægros etiam robustissimos occidat. Quare crisis salutaris signa, si primis statim diebus *decretoriis* ab *Hippocrate* (*a*) nuncupatis,

(*a*) Qui diebus paribus exacerbantur, ea paribus judicantur, quorum vero accessiones diebus imparibus fiunt, diebus imparibus judicantur. Circuituum autem diebus paribus judicantium primus est decretorius 4, 6, 8, &c. Sed imparibus diebus judicantium decretorius dies primus est, 3, 5, 7, 9, &c. Vid. Epid. lib. I. p. 672. Edit. Linden.

non apparent, parum ſpei ſanitatis recuperandæ ſuper eſt; ſic ſi vomitus bilioſus, aut diarrhœa bilis atræ, primis ſtatim diebus decretoriis ejicitur, aut per lotium, copioſo ejusmodi ſedimento onuſtum, eliminatur, ægrotum ex morbo hoc convalescere ſpes affulget. Idem valet de narium hæmorrhagia copioſa, quæ ſi nimis cito & in minori copia tertio vel quarto die accidit, exitioſa judicatur *Hippocrati*, qui hoc in tribus ægrotis vidiſſe confirmat (*b*); annunciatur autem illa ſalutaris narium hæmorrhagia mea quidem experientia, faciei rubore, arteriarum temporalium pulſu elevato, obtuſo capitis dolore & narium pruritu, quæ ſi 5, 6, vel 7 die tunc in copia prorumpit, ægrotum a periculoſis ſymptomatibus liberat, & remediis congruis exhibendis tempus permittit. Solvitur aliquando febris hæc, menſtruo vel hæmorrhoidum fluxu copioſo, id quod in hæmorrhoidario viro, 50 annos nato, ipſe expertus ſum; rariſſime autem critico ſudore, cum in hac febre lymphæ & ſeri nimia jactura evacuationem hanc impediant. Interdum accidit, quamvis rariſſime, quod ſputo craſſo bilioſo, monente *Hippocrate, de Affection. l. 3.* febris ardens ſolvatur, quod & mihi videre contigit; nimirum ſanguis ſpiſſus, coactus, atrabilarius, in aſperæ arteriæ pulmonum veſiculis coacervatus exitum ibi quærens, in pituitam ſanioſam, coctam mutatus, cum levamine & moribundi ægri conſervatione rejiciebatur, id quod reſpiratio antea valde anheloſa & laborioſiſſima, mox libera penitus reddita, confirmabat.

In febre ardente omnium periculoſiſſima, calor urens & ſitis inextinguibilis eam ſanguinis conditionem annunciant, quæ ex ſeri & lymphæ diluentis defectu,

(*b*) Vid. Epidem. L. I. p. 673. &c.

attritum ingentem residui cruoris spissi & densi, ad caloris gradum supremum, in corpore ægroti excitatum declarant. Ad æstum itaque febrilem intolerabilem sedandum, a quo omnia periculosa & lethalia symptomata procedunt, omnino requiritur, ut id, quod sanguini deficit, ei ilico restituatur, compactæ scilicet & spissæ cruoris massæ, amissa fluiditas, ad circuitum per vasa minima subeundum reddenda est, simulque stasis inflammatoriæ destructivæ corruptio præcavenda. Si ætas, temperamentum, corporis robur, pulsus celer & plenus cruoris in ægro abundantiam manifestant, venæ sectio statim & intra triduum instituenda est; in celeri autem simulque debili valde pulsu, præcipue si extremitates minus calidæ, & æstus ingens solummodo circa pectus & præcordia sentitur, sanguinis detractio mortem, aliquando subito accelerare solet. Inter remedia imprimis necessaria sunt decocta aquosa ex hordeo, avena, oryza, Radic. graminis, Scorzoneræ &c. cum succo citri, gelatinis rubi idæi, berberum, cerasorum &c. acida reddita, tamarindorum itidem decoctum, cum syrupo quodam dulcificatum, vel lactis serum, cum vini Rhenani quinta vel sexta parte, paucoque sacharo remixtum, ex his, vel similia hisce, quæ ægroto conveniunt, assidue & in copia haurienda sunt. Si cruoris increscens corruptio suspicatur, acidis vegetabilibus in decoctis recensitis, mineralia ex vitrioli spiritu vel oleo, substituisse haud pœnitebit; Interea pulveres ex nitro cum absorbente citri acido saturato, omni trihorio exhibendi sunt. Clysmata insuper emollientia addito nitro & Olivarum vel Lini oleo sæpius injecta, ideo necessaria erunt, quoniam aqua calida emolliens intra venas meseraicas resorbta, hærentem spissum cruorem diluendo & vasa laxando, egregie mobilem quandoque reddit. Exu-

lent autem omnia remedia calefacientia, ſpirituoſa, volatilia, alexipharmaca quocumque ſpecioſo prætextu aut virtute commendata. Vegetabilia nonnulla reſolvendi virtute prædita, e. gr. Rad. Pimpinell. alb. Vincetox: Herb. Scord. Centaur. min. Card. bened. Cortex Caſcarillæ & his ſimilia, cum aqua vel vino probe cocta, colata & leni calore exhalando ad extracti ſpiſſioris formam redacta, ſi denuo in liquore Terræ foliatæ Tartari & appropriatis deſtillatis aquis iterum ſolvuntur, & convenienti doſi ægrotis cum pulvere nitroſo alternatim omni bihorio porriguntur, effectum deſideratum ſæpius præſtabunt. Ita ægrotos aliquot febre ardentiſſima detentos ſequenti methodo ſanitati priſtinæ reſtitui; Ex ſignis antea deſcriptis de morbi hujus præſentia certior redditus, ſi pulſus magnus ſatis & celerrimus deprehendebatur, ſtatim verſus finem ſecundi, aut ſub initium tertii diei venam aperire juſſi; Tamarindorum decocto & clyſmate exhibitis, primas ut dicunt vias ſtatim poſt venæ ſectionem leniter expurgavi. Decocta antea memorata acida reddita, in copia haurienda præcepi; ſingulis duobus vel tribus horis pulverem ex Nitro, Tartaro vitriolato & abſorbente citrato partibus æqualibus compoſito, exhibui. Ceteroquin ad ſummi Hippocratis monita, de coctione morboſæ materiæ, ad critice evacuandum aptius reddendæ ſemper ſollicitus, medendi hocce methodo, diebus primis adhibito, me nullam naturæ violentiam attuliſſe perſuaſus eram quando tertio vel quarto die æger peſſime ſe habebat. Ita ſi æſtus circa præcordia intolerabilis videbatur, ſpongias malvæ decocto imbutas, locis æſtuantibus ſæpius admovebam, non neglectis clyſmatibus antea commendatis. Cumque diebus hiſce, æſtus ægris plane impatibilis apparet, ſtragulis ſuperfluis amotis, aeri renovato & ſæpius reno-

vando, illos exponere non dubitavi, cavendo solummodo, ne aeris admissi motus lectum feriret ægroti. Ad emolliendam cutis, oris, narium, asperæ arteriæ & vesicularum pulmonalium superficiem, in cubiculo decumbentis, emollientes vegetabilium species, cum hordeo germinato fermentante commixto, in lebete coquenda tradidi, exhalationes a coctura in aerem frigidiorem elevatæ cubiculum implentes, intentioni meæ succurrere videbantur, nam respirationis anhelosæ frequentissimæ molestia, in ægroto quodam 38 annorum paulatim minuebatur, & naturæ motus versus inferiora directi, quinto post accessionem febris die, alvum copiose laxabant ejectionibus materiæ spumescentis biliosæ fœtidæ; clysmata die sexto continuata nihil excrementorum amplius educebant, & cum somnus jam ab initio morbi deficeret, mentis alienationes insecuturas prædixi. Sub initium diei octavi, ingens pectoris oppletio asthmatica deprehendebatur, quæ post meridiem, laxatis tracheæ vasculis, tussi operosa interveniente, exitum quærebat, rejiciebatur statim materiæ tenacissimæ, fusci coloris, parva portio, quæ postmodum die nono & sequentibus augebatur, & magis mucosa flavescens, cum corrupti cruoris ruffescentibus striis permixta materies, tandem cum levamine rejiciebatur, ita ut æger post septimanas tres integræ sanitati restitutus fuit.

Alium postea offendi hac febre decumbentem ægrum, habitu corporis robustioris & plethorici, qui annum ætatis suæ vigesimum sextum nondum expleverat. Die altero post febris ardentis accessionem accersitus, conquerentem audivi de cephalalgia intolerabili, faciem tumidam, rubram, exæstuantem & oculos humidos ruffescentes, incipiente ophthalmia quasi affectos, monstrabat; & quamvis pulsus celerri-

mus, debilis tamen & ſuppreſſus ſentiebatur, venam aperire, & duodecim circiter ſanguinis uncias detrahere non hæſitabam. Horis aliquot elapſis, pulſus magnus & plenus, aſt celeritate haud imminutus, adparuit. Die ſubſequente tertio, cum in pulſu celeritatem & plenitudinem minime mutatam perſpicerem, calore interim ſicco, urente, cephalalgia, reliquisque ſymptomatibus antea memoratis adhuc ſubſiſtentibus, venæ ſectionem denuo repetendam juſſi, ſanguis eductus minime inflammatorius, ſed compactus, denſus, gælatinæ inſtar ilico concrescens adparebat; ſub initium diei ſubſequentis, guttulæ aliquot cruoris atri ex naribus exſtillabant, quo phænomeno perterritus aliquantisper & præſagii truculenti, *Epidemic. l.* 1. *p.* 673. *Hippocratis* memor, qui ſtillicidum ejusmodi, tertio vel quarto die ſuperveniens, pro ſigno mortifero habuit, inter ſpem & metum hærebam. Interea pulſus deprehendebatur mollior & æſtus aliquantulum remiſſior, quare potionibus diluentibus pulveribusque nitroſis in copia adſumptis continuatis, neque clysmatibus neglectis morbum aggredi alacriter pergebam, donec tandem die nono, poſtquam capitis dolor & arteriarum temporalium pulſus gradu vehementiori ſemper perduraſſent, narium hemorrhagia copioſiſſima cum ægroti levamine inſequebatur; lotium antea ruberrimum, nubeculam, & paulo poſt ſedimentum flavum, albicans, furfuraceum dimiſit, utpote materiei febrilis coctæ & expulſæ ſalutare ſignum. Convaluit poſtea æger, ſed gravi auditu, a graviſſimis capitis doloribus, durante febre perpeſſis, per tres menſes adhuc laborabat quod ſymptoma ab imperfecta criſeos materia, in hoc organo depoſita originem trahens, aucto corporis vigore, a motu indies inſtituto, penitus denique disparuit. Febrem ejusmodi arden-

tem non minus gravem in juvene viginti annorum, diæta lauta & corporis exercitiis immodicis adſueto, quinto die, quo copioſiſſima narium hæmorrhagia prorupuit, diſſipatam vidi, cui circa finem ſecundi diei ex vena brachii ſedecim uncias ſanguinis extrahere, & remediis idoneis tractare non oblitus eram.

Ceterum occaſione harum febrium continuarum, quæ ob æſtum intolerabilem ardentium cognomen acceperunt, Medicos juniores monitos velim, ut poſthabitis medicamentis calefacientibus alexipharmacis, neque ſtragulis ſuperfluis, neque foco calorem febricitantium nimis jam moleſtum adaugeant, quoniam hacce cautela neglecta, morbus brevi inſanibilis redditur: præcipue cavendum eſt, ne aer calidus in cubiculo, ubi æger decumbit, occluſus coerceatur impedita ab exteriori renovatione; experimenta autem, noſtro ſæculo inſtituta comprobaverunt, eumdem aerem, in loco clauſo diu inſpiratum, elaſticitatem ſuam amittere, hinc ad pulmones expandendos minus ſufficere, ſicque reſpirationem, ad vitam ſumme neceſſariam, valde debilitari. Quare jam Medici antiqui, uti *Celſus* (1) *Aetius Amidenus* (2) aeris admiſſionem, renovationemque adeo commendant, & inter recentiores Britannorum ille Hippocrates Sydenhamus (3), & immortalis Bœrhaavius (4) aerem purum frigidum ſæpius admittendum & renovandum, integumentaque minus ſuffocantia adhibenda eſſe ſedulo inculeant; mihique experientia reiterata conſtat, quod aeris frigidioris in ægrotantium cubiculis mode-

(1) Libr. 3. cap. 7.
(2) Tetrabibl. I. Serm. 2. c. 78.
(3) Sect. 3. c. 2.
(4) Aphoris. 743.

rata admiſſio, non ſolum utilis ſed ſumme neceſſaria quandoque ſit iis, qui febre continua ardente vel etiam acuta inflammatoria decumbunt, ad ſymptomata ſæpe lethalia avertenda.

Cæteroquin obſervaſſe convenit, notatam jam ſuperius differentiam, inter ardentem proprie ſic dictam febrem, de qua hic ſermo, & inter febres biliosas adpellatas, quæ ſub febrium ardentium claſſe a recentioribus Medicis comprehenduntur, quippe qui bilem atram veterum, pro febrium biliosarum cauſa haud agnoscunt, ſed bilem ciſticam naturalem in hepate ſecretam, in inteſtinum duodenum quocumque modo effuſam, illarum cauſam efficientem ſtatuunt; quando videlicet bilis hæcce in nimia copia ibi depoſita, cum fermentantibus cibis vel potu mixta, vehementem efferveſcentiæ gradum excitat, qui portionem *duodeni* cum ſtomachi pyloro, parteſque adjacentes irritando & rodendo, ſpasmodicas ſtricturas, ſanguinisque inflammatorias ſtaſes efficit, unde dolor acutus & ardens quaſi calor, circa præcordia imprimis, ſentitur, febremque acutam continuam habet comitem, in valde periculoſam ſæpe degenerantem, ſi nimirum ſaburra iſta acerrima bilioſa, vomendi conatibus magis quam vomitu ipſo non ſatis cito removetur & ejicitur; aut hac via neglecta, per totum inteſtinorum canalem tracta & voluta, tarde nimis per parcas ſedes exitum invenit, ſicque tandem inflammatoriam febrem ibi excitans, mox gangrænam, ſphacelum, deliria, convulſionesque lethales producere poteſt.

Febris hujusmodi bilioſi præſentia ex ſignis jam traditis detecta, indicat, ut vomendi iſti, cardialgiam excitantes conatus, leni vomitorio ex *Ipecacuanha* cum *Tartaro ſolubili* rejiciantur; aut ſi materia iſta bilioſa rodens, ad inteſtinorum fiſtulam profundius jam delata

& effusa, per signa sua deprehenditur, tunc medicamentis, ex *rhabarbaro & salibus mediis*, compositis, & clysmatibus idoneis reiteratis, foras eliminanda est. Promovetur horum remediorum operatio, simulque corrumpens acredo corrigitur, si ægroto hoc morbo decumbenti, frequentissime potiones subacidas potandas, & pulveres absorbentes nitrosos effatim deglutiendos exhibemus; Hac methodo febres biliosas periculosissimas vidi profligatas, sed inconvenientibus remediis tractati hoc morbo decumbentes ægri, non raro, si libitinam effigiunt, in morbos chronicos præcipitantur, crisi imperfecta ad partes nobiliores delata.

DE FEBRIBUS

Intermittentibus & continuis remittentibus.

SECTIO IV.

FEBRES quæ per intervalla stato tempore accessionis impetum penitus remittunt, adeo ut ἀπυρεξία plenaria inter duos sic dictos paroxysmos intercedat; nomen intermittentium febrium, ab antiquissimis medicæ artis scriptoribus accepisse omnibus notum est. Quare quæ intra viginti quatuor horas, vel uti primo statim die accessiones suas subsequentibus diebus similem in modum repetunt, *Quotidianas*, quæ alternis diebus revertuntur *Tertianas*, & quæ duos dies intermedios a febris impetu immunes sistunt, *Quartanas* adpellari nemo ignorat. Sunt qui febres quinto, sexto, septimo die & ultra revertentes observasse perhibent, proinde *quintanas, sextanas &c.* appellandas, sed hisce febrium

divisionibus & considerationibus immorari superfluum fore arbitror, cum illæ, si aliquando existunt, medendi methodum peculiarem haud exposcere videantur; Qui præterea accessionum hujusmodi febrilium diversitates annotatatas legere cupit, collectas nonnullas reperiet in *Schenckii Observationibus medicis libr. 6. pag. 745. & in Ephem. Nat. cur. an.* 4, 5, 8, 9, 10. &c. Ceteroquin distinctionem harum febrium in *vernales & autumnales*, quarum priores februario, posteriores vero Augusto mense incipiunt, valde necessariam esse, imprimis accuratissimus morborum indagator Sydenhamus, Sect. I. c. 5. extra omne dubium posuit; vernales cum salutares plerumque sint & brevioris decursus, nullisque stipatæ periculosis symptomatibus, sanationem satis citam admittunt; autumnales vero in medela admittenda longe tardiores deprehenduntur præcipue si epidemice grassantur.

Quod si die intercalari nova febris accessio accidit, tunc hæ febres intermittentes duplicatæ adpellantur, sic *tertianæ duplicatæ & quartanæ triplicatæ* quandoque emergunt, ita scilicet ut singulis diebus febris accessio se manifestet; Sed a quotidiana febre distinguuntur febres hæ, cum e. gr. in tertiana duplicata primi diei paroxysmus respondet illi tertii diei, & secundi diei accessio quarti diei assimilatur accessioni, idemque ordo in quartana duplicata, quæ sæpius, & in triplicata, quæ rarius occurrit, observatur. Magnas sæpe molestias in praxi medica creant intermittentium hæcce febrium duplicatio, si ut notari neque tempora earum neque spatia possint, præcipue in istis autumnalibus quæ epidemice grassantur, id quod probe notavit Sydenhamus, Sect. I. c. 5. quare sæpius hæ febres pro continuis remittentibus habentur ab iis, qui ad mutationes quasvis illarum non diligenter animum advertunt;

tunt; ad eas autem probe distinguendas necessaria omnino erit illarum investigatio accuratior, etenim si pro continuis accipiuntur duplicatæ ejusmodi intermittentes febres, & venæ sectione aut evacuantibus fortioribus adhibitis nimium debilitantur ægri, morbifica tunc materies evacuanda altius radices in visceribus aget, in morbum chronicum mutabitur, aut in febrem lentam difficillimæ sanationis transibit; quem errorem, ex medicantium inconsideratione ortum, facile quidem detegere, sed difficile corrigere & emendare possumus.

Annotari insuper meretur febres intermittentes non semper ejusdem indolis esse, nec decursum consuetum, phænomenorum respectu, observare, cum symptomatibus quandoque observatis constet, eas sæpissime malignarum more epidemice grassari, & diversæ ætatis, sexus & constitutionis homines aggredi, ac si contagium quoddam exstitisset; quod morbi febrilis fomitem integris regionibus communicasset. Ita de epidemicis ejusmodi intermittentibus febribus Ao. 1661. grassatis, conqueritur *Sydenham*, *Sect I c. 5. p.*98. de illis 1669 & 70. *Sylvius in Oper suis, p. m.* 794. *seq.* & de aliis 1720. Saxoniæ partem imprimis devastantibus refert *Hoffmannus in Medic. consultator. Part.* 2. *p.* 90. *seq.* In hisce contumacissimis hujus anni febribus sanandis me plurimum negotii & occupationis habuisse recordor, paulo ante praxi medica initiatus.

Febris quotidiana intermittens.

FEBRIUM intermittentium species rarior est illa quotidiana dicta, quæ singulis diebus cum frigore & calore subsequente horis utplurimum matutinis invadit & eodem tempore iterum recurrit, intra sex

F

vel ſeptem horas vero frigoris æque ac æſtus notabilis valde impetum ordinarie abſolvit, qui plerumque ſudoris profluvio terminatur. Cum hæc febris non adeo frequens quam reliquæ intermittentes, tertiana nimirum & quartana mortales aggreditur, evenit ut aliqui ſcriptores illam pro *tertiana duplicata* agnoſcant & *quotidianam ſimplicem* prorſus negare videantur; ſed ad utriusque febris phænomena animum probe advertenti facile pateſcet, quod *ſimplex quotidiana*, de qua hic ſermo, invaſionis æque ac durationis periodum ſingulis diebus ſtato tempore ſervet, in tertiana autem duplicata non ſingulæ acceſſiones ſed alternæ ſibi reſpondeant, ſic ut illa primi diei conveniat cum acceſſione tertii, & ſecundi diei paroxysmus respondeat illi qui quarto die invadit, id quod jam antea monui.

Corripiuntur febres acce, experientia teſte phlegmatici, otioſi & qui vita ſedentaria delectantur, ac proinde ſerum pituotoſum intra cruoris maſſam generant, quæ mox vitioſa ſanguinis conſtitutio, animi aut corporis commotione ſubita, in vehementiorem motum acta, cauſam proximam hujus febris conſtituit: nimirum pituita in vaſculis minimis hinc inde protruſa & ſegregata, febriles obſtructiones efficit, collecta in primis viis, præcipue in ſtomacho, pituitæ copia, muſculares fibras hujus viſceris irritando, cardialgicas conſtrictiones, nauſeam vomendique conatus producit. Adparente autem hocce ſymptomate, lene emeticum ex Ipecacuanha, vel laxans ex rhabarbaro, cum granis aliquot reſinæ ex *jalappæ radice* mixtum, ſex vel octo horis ante novam febris acceſſionem exhibitum, pituitoſam ſaburram eliminando febris impetum reprimet. Reliqua in ſanguinis maſſa, & minimis vaſorum receſſibus abscondita hærens pituitoſa

colluvies, incidentibus & diſſolventibus medicamentis, qualia ſunt *radices Ari, Pimpinellæ albæ, Vincetoxici, Enulæ &c.* cum *ſalibus mediis* maritatæ corriguntur, interpolatis amaris *ex Gentiana, abſinthio, Carduo benedicto, Centaureo minore &c.* Æſtum & ſitim febris hujus imminuunt *decocta & tiſanæ nitro & citri acido* permixta, antea jam commendata; aliis non indigebam remediis cum aliquoties febrem hancce profligare ſollicitatus fui.

Febris tertiana intermittens.

INTERMITTENTIUM febrium frequentiſſima, unicuique proinde ſatis cognita eſt *febris tertiana* dicta, quæ diebus alternis invadit, poſtquam diem alterum a febre immunem reliquit. Diverſis autem hujus febris diſtinctionibus, quas Autores nonnulli tradunt, immorari ſuperfluum duco, ubi illam diſpertire ſolent *in ſimplicem & duplicem*, quam antea jam tetigi *in legitimam & ſpuriam*, quæ potius tertiana continua remittens eſt, porro *in geminatam*, quæ duobus paroxysmis alternis diebus infeſtat, nec non *in Hemitritæum ſeu ſemitertianam*, quæ compoſita eſſe videtur ex tertiana ſimplici & quotidiana intermittente, ubi alternis diebus nunc unus nunc duo febriles inſultus ægrotum laceſſunt &c. quas quidem diſtinctiones theoretice noſſe convenit, quamvis in praxi parum mutare videantur medendi normam. Diſtinctio tamen magis eſſentialis & majoris in praxi utilitatis illa eſt, quæ febres haſce in *vernales & autumnales* diſpertit, quam diſtinctionem, ad prognoſim imprimis eruendam, valde neceſſariam comprobavit accuratiſſimus phænomenorum febrilium obſervator *Sydenhamus. Vid. Sect. I. c. 5.*

In ſignis hujus febris diagnoſticis eruendis prolixitas ſuperflua erit, cum nemo non novit, febrem hancce cum pandiculatione, laſſitudine, tremore atque frigore poſtea vehementiore invadere, quibus mox calor & æſtus denique moleſtiſſimus, antecedente nauſea vel vomitu, ſuccedunt, ſitis valde urgens cum cephalalgia & laſſitudine ſumma concomitantur, & denique ſudor copioſius prorumpens ægrum a febris impetu immunem uſque ad novam acceſſionem reddit, quæ elapſo circiter unius diei ſpatio, iterum revertitur. Præterea obſervatum eſt, febrem hancce utplurimum prima vice horis matutinis vel ante meridiem invadere, quod tamen non ſemper accidit, ſed frigus vehementius in hac febre & calor magis urens quam in reliquis intermittentibus deprehenditur.

Cauſæ remotæ hujus febris variæ ex illis eſſe poſſunt, quas antea in febrium conſideratione generaliori jam enumeravi, in ſpecie autem Autores practici cauſam illius proximam in primis viis collocant ex diætæ vitiis in vitæ regimine commiſſis; Sed profundius quoque in viſcerum receſſibus & ipſa ſanguinis maſſa cauſam hujus febris latere poſſe nemo in dubium vocabit, qui vitam ante actam nonnullorum febre hac decumbentium, ſcrutatus eſt. Adparet enim hoc morbo ſæpius corripi otioſos qui vita ſedentaria delectantur, plethoricos quoque poſt perpeſſam ſanguinis vehementiorem commotionem, & cholericos animi pathematibus violentioribus correptos.

Maxima autem inter tertianas vernales & autumnales intercedere videtur differentia, quam perpetuæ practicorum obſervationes comprobant. Vernales nimirum menſe februario vel martio invadentes, nec contumaces ſed ſalutares plerumque eſſe ſolent, nec ſanationem recuſant, niſi phlebotomia, vel draſticis

turbatæ evacuationibus, critica materiei febrilis evacuatio impeditur & ad ulteriores accessiones formandas intra corpus detinetur. Sibi autem relicta vernalis tertiana, brevi disparere solet, quoniam sanguinis massa, tota hyeme insensibili transpiratione immunita, seri ac lymphæ majorem copiam coacervata & retenta, singulis febris insultibus sudoris ac lotii copiam sufficientem suppeditare valet, cujus ope, causa febris materialis diluta, mota & vehiculum nacta, eo facilius per excretiones hasce naturales auctas eliminari poterit.

Insimul ratio patet, cur autumnales febres protractiorem longe curam exposcent, & non adeo levi opera se amoveri patiantur; cum enim Augusto mense invadere solent, sanguinis massam in istis quæ aggrediuntur corporibus, magis densam & spissam offendunt, ob seri & lymphæ fluidoris jacturam quæ calor æstivus successive dissipavit, unde simul ortæ in viscerum recessibus obstructiones, fomitem materiei febrilis simul augent. Hisce causis, si accedit adhuc ista aeris constitutio, quæ tertianis autumnalibus, ut epidemice corpora aggrediantur & inficiant, vires & effluvia imperceptibilia suppeditat, tunc vehementiores insultus febriles, maxime priores adeo nonnunquam protrahuntur, ut brevissimum ἀπυρεξίας spatium inter duos paroxysmos solummodo intercedat, quo Medici non satis experti sæpe falluntur, ut ejusmodi tertianas autumnales sæpe pro febribus continuis agnoscant, & methodo his convenienti illas tractent, quamvis non sine magno ægroti periculo; quem tamen errorem facile quis evitare poterit qui primam febris accessionem probe exploratam habet? nam febres continuæ absque notabili frigore invadunt, quod tamen in tertianis valde molestum est & per

horas integras hæcce algida corporis concuſſio ſæpe protrahitur, quamvis non negandum quod per calida remedia febres hæ intermittentes in continuas quandoque transmigrent. Imminuitur autem vigor harum febrium & fatiscunt, quo magis menſe Januario & vernali tempore adpropinquant; ſic & vernales, ut ut mitiores utplurimum ſint, tamen exacerbari videntur verſus ſolſtitium æſtivum autumno proximiores. Obſervavit cæteroquin Sydenhamus, & experientia propria edoctus ſum, quod eo numeroſiores fuerint hæ febres autumnales in noſtris hisce oris, quo citius, & ante Auguſtum menſem quandoque inceperint.

Proximam ſive prædisponentem hujus tertianæ febris materialem cauſam determinare, ardua omnino res eſt; ex remotis quas antea annotavimus patet, eas nunc in primis viis, jam in ipſa ſanguinis maſſa, mox in viſceribus aut in reliquis partibus ſolidis, aliquando in nervorum ſyſtemate illorumque fluido, vel cum epidemice graſſantur, per miasma infectivum corpori introductum, mutationes ſuas exercere; Quomodo autem fiat & fieri poſſit, ut cauſæ tam diverſæ, & in tam diverſas corporis partes agentes, eumdem ſemper effectum, qui in harum febrium acceſſionibus ſive paroxysmis deprehenditur producant, demonſtrationibus ſolidis omnino repugnare videtur; Etenim omnes hæ, ex tam diverſis cauſis ortæ febres, incipiunt cum oſcitatione, laſſitudine, pallore, frigore, horrore, tremore, anxietate, reſpiratione difficili & pulſu parvo, debili, accelerato. Ex quibus phænomenis præſentibus colligere ſolummodo licet, quod omnes tam diverſæ cauſæ remotæ unam eamdemque ſemper cauſam proximam producere valeant, quæ in ſubita vitalis functionis debilitate conſiſtere

videtur ; nimirum debilior cordis conſtrictio, debilitatum & inſufficientem liquidi cerebelloſi in nervos cordis & organi reſpirationis influxum produnt, id quod pulſus parvus, respiratio difficilior, tuſſiculoſa, & ſumma corporis laſſitudo ſatis ſuperque demonstrant, cum interim functiones animales, contra voluntatem quoque & conſuetum mentis imperium, in vehementiorem motum acta, rigores, tremores, constrictiones fibrarum oſcillatorias, musculorum involuntarios ſubſultus, & in tota corporis ſuperficie ſpaſticas fibrillarum ſtricturas efficiunt, quare vaſa cutis minima compreſſa, cruorem admittere nequeunt, unde pallor, & ex interrupto in vaſa cutis circulo, frigus adparere neceſſum eſt.

Exiſtente itaque iſta, in humano corpore cauſa, quæcumque illa demum ſit, quæ liquidum nervoſum cerebri, ad violentiorem motum, in functione animali excitandum ſuſcitat, illa neceſſario liquidi cerebelloſi motum, ad functiones vitales cordis & reſpirationis peragendas infringere & imminuere debet, proinde cauſa febris intermittentis proxima, vel ſi mavis prædisponens exiſtere poſſe aliquo modo patet, etenim interceptæ & debilitatæ hæ vitales functiones tam diu ſubſiſtere debent, donec cauſa illa, quæ animales functiones exacerbatas & inde pendentes fibrarum ſtricturas ſuſtinuit, per motum cruoris ſucceſſive auctum, diſſipata & circuitus humorum in vaſis minimis reſtitutus iterum fuerit, tunc naturales ſecretiones per cutim & renes, copioſo liquido lymphatico-ſeroſo expulſo, febrilem paroxysmum ſolvunt, & ad novam usque acceſſionem ægrum a febre immunem relinquunt. De periodica harum febrium, ut & reliquarum intermittentium invaſione & ſtato tempore recurſu, jam ſuperius egi, ubi de febribus in genere

F 4

consideratione instituta, conjecturam feci ; quamvis origo & materies ad prædisponentem hancce causam in actum deducendam, pro febrilis accessus stato tempore recursu, sufficientem demonstrationem, exceptione omni majorem eludere videantur. Sic quoque induciæ hæ ad febrilem causam per intervalla eliminandam, ex animæ deliberatione institutæ, difficultates inextricabiles nancisci inde patet, cum mens minime perspectas habeat, neque reprimere nec accelerare possit ejusmodi inducias, quippe subito perculsa, instante denuo nimirum febrilis accessus insultu.

Cum causæ remotæ hujus febris & reliquarum intermittentium innumerabiles fere sint, Medico illarum curam suscipienti incumbit, ut patientis ætatem, sexum, corporis habitum & vitæ regimen consuetum & prægressum probe examinet, cumque symptomata febrem concomitantia monstrent, febris causam in primis viis hærere, id quod ructus, nausea, vomendi conatus, vertigo, oris amaror, abdominis tensio &c. non obscure indicant, tunc purgans vel vomitorium medicamen, medio inter duos accessus febrilis tempore exhibitum, materialem febris hujusmodi causam, maxime verno tempore, adeo infringere solet, ut reliqua remedia adpropriata, residuas, massæ sanguinis communicatas squalores, insultus febriles sustentantes, immutare, & brevi ad excernendum aptas reddere possint; non raro ipse expertus sum, quod finita ejusmodi, vel per vomitum, vel per diarrhœam evacuatione, cum paulo ante novum febris accessum, Sydenhami methodo, paregoricum ex laudano ejus liquido exhibui, spasticæ novi paroxysmi stricturæ adeo imminutæ fuerint, ut æger aliquando

a febre penitus immunis, vel debiliore ſatis paroxysmo laceſſitus, ſurgeret.

Evacuationibus ejusmodi peractis, remedia magis convenientia & uſu comprobata, quæ ſigna ſuperius recenſita poſtulabant, ſeligenda ſunt, quorum ope, cauſa febris cognita & detecta, debellari ſucceſſive posſit; an vero cauſa illa ſub forma fluida motum ſanguinis alterando in ejus maſſa hæreat, vel ſub forma magis ſolida, pituitoſa, lentescente in vaſorum & viscerum receſſibus delitescens, cruoris circuitum turbet, res ſane difficilioris indaginis erit. Ut ut hæc ſint, experientia monſtrat febrilem materiam, per remedia congrua adhibita, ita immutari ac transformari poſſe, ut ad evacuandum, per excretiones naturales, apta reddatur. Medicamenta autem, ſcopo huic inſervientia, ſunt illa quæ ſub claſſe *diſſolventium* & *diluentium* comprehenduntur, & ex prioribus his præcipue *Salia*, imprimis media dicta, uti ſunt *Tartarus vitriolatus*, *Tartarus tartariſatus*, *Arcanum duplicatum*, *Sal polychreſtus*, *Nitrum depuratum*, *Sal Ammoniacum &c.* quæ vehiculo aquoſo ſoluta, in minimos atomos redacta, idonea redduntur ut cruoris, ſeri, & lymphæ liquoribus perfectæ commisceri poſſint, & ſic ad intimiores vaſorum & viscerum receſſus delata, vi ſua diſſolvente viscidum & tenax obſtructum comminuere, humorum circulo reddere & peregrinum noxium ad ſecernendum & excernendum disponere valeant. Non minori diſſolvendi, obſtructum reſerandi, fibrillasque ſolidarum partium roborandi vi pollent vegetabilia nonnulla, ſpecifico antifebrilium titulo inſignita, qualia ſunt *Herbæ, Centaureum minus, Carduus benedictus, Abſinthium, Gentianæ rubræ Radix, Chamemili Flores* &c. Quorum præcipue *Extracta* rite præparata, in liquore ſalino *Terræ foliatæ Tartari* iterum ſoluta &

aquis destillatis convenientibus diluta, cum *salibus mediis*, diebus a febre vacuis, alternatim exhibita, egregiam intermittentes febres eradicandi vim possident. Materia febrili hunc in modum soluta, correcta & mota, diluentibus adpropriatis, brevi ante febris accessum, ad sudorem eliciendum in copia adsumptis, sæpius febrile frigus vel penitus vel maximam partem dissipavi, nullo postea vel parvo saltem subsequente febrili calore, qua encheiresi, futuri penitus præscindebantur paroxysmi. Diluens hocce sudoriferum componere curavi ex Radicibus Graminis, Scorzoneræ, Sarsaparillæ, Ligno Sassafras & Cassia lignea in aqua coctis, adjecto postea Citri acido & Sacharo, ut palato gratius redderetur potus in copia hauriendus.

Hac itaque methodo simplicissima innumeras febres tertianas, autumnales æquæ ac vernales profligavi & rarissime coactus fui Peruvianum corticem in subsidium vocare, modo ægri satis morigeri fuere, ut victu pauco & tenuiori contenti, remediorum in febris decursu operationem per voricitatem interrumpere omiserint. Sollicitus præterea semper fui, ut durante febris accessu potus conveniens non deficeret; frigore adhuc subsistente, si sitis urget, potum calidum ex infuso Thee cum Citri recentis flavedine permixto, vel carnis decoctum dilutum hauriendum inculcavi. In calore vero & æstu febrili, crustæ panis infusum, cui Citri succus vel segmenta fuere addita, in copia potandum monui, quod valde conveniens & ægro gratum existet, maxime si vino rhenano & sacharo in parva copia adjectis palato gratius redditur, ita etiam hordei decoctum hunc in modum præparatum valde proficuum est. Ingurgitationes horum potuum copiosæ, idoneum porrigunt vehiculum eliminandæ febrilis materiæ per sudorem æque ac per

lotium. Si per vomitum rejectus acor, vel acidum spirantes ructus, acidam in frigore febrili produnt acrimoniam, tunc salibus mediis antea recensitis, absorbens marinum ex *Conchis*, *Matre Perlarum vel Lapidibus Cancrorum* adjicio, & *Extractis* superius memoratis, in *aquis Cardui benedicti*, *Cinamomi* & similibus solutis, *Oleum Tartari per deliquium* addo, quod & saburram biliosam acori permixtam destruit. Quod si sudor post æstum febrilem nimis copiosus, anxietates, debilitatemque nimiam in debilioribus subjectis producit, cardiacum medicamen ex *aquis cerasorum nigrorum & Cinamomi* cum sexta parte *Aquæ Vitæ Mathioli* & *Syrupo acetositatis Citri* permixtum & per vices adsumptum, ægrum reficiet.

Nec aliam medendi methodum efflagitabant tertianæ febres quæ annis 1720, 27, 28, 1736, 38 &c. epidemice in hisce oris grassabantur, neque in lentescentes febres projiciebantur ægri, neque viscerum labem retulerunt qui abstinentia debita observata remediis dictis sedulo usi fuerint; Œdematosus autem pedum tumor, qui post febres diutius protractas maxime in ætate provectioribus, sæpe visitur, brevi iterum disparere solet, prout solidæ partes debilitatæ, convenienti nutrimento & motu debito iterum reficiuntur. Itaque famosum & efficax illud Peruvianum febrifugum in febribus tertianis minus sæpe adhibui, nisi in ægrotis debilioribus & senio confectis, in quibus nimia nervosi systematis sensibilitas & spirituum nerveorum penuria observabatur, ubi insultus validi in frequentioribus hujus febris accessibus, symptomata valde periculosa & μεταςάσεις insanabiles quandoque introducunt. De sanguinis detractione ex secta vena, nunquam vidi ablatam tertianam febrem, & ex reiteratis ejusmodi detractionibus tenaciorem illam ob-

ſervavi , & in febrem lentam ſecedentem , hæcticæ antecurſorem.

Febris Quartana.

QUARTANA febris Medicorum opprobrium dicta, ob diurnitatem temporis qua ægrotos infeſtat , ob remediorum , quæ adhibentur dubium & incertum effectum , & ob ſymptomata ſæpe periculoſa , quæ profligata febris hæcce nonnunquam poſt ſe relinquit , peculiarem inter febres intermittentes meretur conſiderationem ; Cauſas antecedentes proprias , illa præ reliquis antea recenſitis haud agnoſcit , niſi profundiorem forſan febrilis cauſæ materialis receſſum in intimiorem viscerum ſtructuram , vel tenaciorem ejus in cruoris maſſa cohæſionem. Sic & prædisponens cauſa eadem ac reliquarum videtur eſſe , tardiorque poſt duos dies intercalares acceſſus febrilis reditus , a tenacitate forſitan & immobilitate majori febrilis materiæ cauſatur ; id quod & inde probari aliquo modo videtur, cum febris hæcce illos imprimis ſoleat laceſſere, qui ætate provectiores , diætæ crudiori potuique parciori adſueti , cæteroque vitæ regimine male obſervato ſanguinis ſpiſſitudinem ſibi compararunt, quique corporis quieti , otio aut ſpeculationibus nimium indulgent , quibusque natura diſpoſitionem ad cruorem atrum melancholicum dictum , accumulandum conceſſit, & qui animi mœrores inſuper & ſollicitudines ſæpius experiuntur.

Notari quoque meretur , febrem hancce decurſum vel typum ſuum exacte valde ſervare ; ſcilicet verſus vel ſub initium autumni , & horis utplurimum pomeridianis homines ſanos primum invadere , frigore non adeo vehementi ac in tertiana , per duas utpluri-

mum horas ægrotos afficere, calorem lentum, ſiccum, cum vertiginoſa capitis pertubatione & anheloſa reſpiratione poſtea ſuccedere, qui denique poſt horas quatuor quinque vel ſex pedetentim diſparet, parciori, pauco vel etiam nullo ſudoris profluvio prorumpente; poſt quarto quovis die, ceu omnibus notum eſt, novi febris hujus acceſſus eodem circiter tempore revertuntur, qui ſimili modo afficiunt, ſicque eamdam ſcenam, febris hæcce ſibi relicta, per multos menſes plerumque ludit, quæ morbi hujus protractio, materialis cauſæ febrilis tenacitatem cum immobili quaſi fixitate abunde probant, rationemque reddunt, cur ejus perfecta diſſipatio ingens utplurimum temporis poſtulet ſpatium. Quamobrem quævis illa, ab antiquis Medicis æque ac recentioribus, ſæculis elapſis, commendata, ad morbum hunc debellandum remedia, pro hoc ſcopo apta rariſſime fuerunt reperta, cum omnis illorum efficacia id ſolummodo effeciſſe videatur, ut minime impedimento fuerint iſtis naturæ conatibus, quibus cauſa hujus febris materialis, per reiteratos acceſſus aliquando eliminari poteſt, excretionum ſcilicet naturalium adminiculo.

Innotuit interim circa medium ſeculum præterlapſi, famoſum illud medicamen febrifugum ex America ad nos allatum, nimirum arboris cujuſdam, in provincia Peru creſcentis cortex, Quinquina incolis ibidem appellatus, Europæis vero ſub generali nomine corticis peruviani notus; cujus fama brevi adeo increbuit, ut pro univerſali ad febres exſtirpandas remedio a multis divulgatus fuerit, cum intermittentium febrium acceſſus inde ſiſti viderent. Sed experimenta aprovidis Medicis ulterius capta abunde monstrabant, remedium hocce intermittentibus potiſſimum

convenire febribus, in continuis vero, ardentibus, acutis, inflammatoriis ac lentescentibus hecticis usum ejus magis noxium quam proficuum fore. Interea multi magni nominis Medici fuerunt & adhuc reperientur, qui corticis hujus usum supervacaneum imo nocivum exinde declarant, quod febriles motus sistat, cum febris naturæ providæ conamen salutare sit, morbiferam quamcumque causam éx humano corpore, per auctos febriles motus eliminandi, ut sanitas inde restituatur, sanitatis restitutionem vero impediri per quodcumque medicamentum quod salutares ejusmodi motus ilico suspendit, & nullam, per excretiones naturales morbosæ materiei expulsionem promovet; Præterea integram febris ablationem a novo hocce remedio expectandam minime esse, cum redire soleant post septimanas aliquot febriles insultus, qui suppressi magis quam extincti fuere corticis Peruviani usu.

Accuratiores interim observationes ex diuturna praxi collectæ, non ambiguum sed genuinum peruviani corticis, in febribus intermittentibus agendi modum haud obscure monstrant; per ejusmodi nimirum observationes sedulo perpensas didici, peculiarem hujus medicaminis virtutem & efficaciam (præter egregiam vim, quam in reprimenda carnis putredine gangrænosa exercet), in eo potissimum consistere, ut motus illos spasticos involuntarios, quibus fibrillæ musculares, sub intermittentis febris ingressum conquassari sentiuntur, placide conpescat, sicque causam prædisponentem tollat, qua animales functiones, contra mentis imperium violentissime agitantur; Quare minime dubius aut fallax, corticis hujus effectus, in intermittentibus hisce febribus deprehenditur, fibrillæ motricis tremulæ, fluidique nervei simul motus violentiores compescendo.

Confirmatur insuper hæcce corticis peruviani actio ex peculiari ejus efficacia quam in hypochondriorum spasmis & hystericis passionibus imprimis sexui sequiori præstat, in quibus affectibus, postеaquam aperientibus remediis & resolventibus impedimenta sanguinis circuitus removere allaboraveram, felicissimo sæpius successu, constrictiones istas nervorum truculentas, quibus feminæ, ad animi deliquium usque exstinctæ, prosternebantur, remedio hocce successive restitui, ut brevi disparerent penitus spasmodicæ ejusmodi, suffocationem minitantes, stricturæ. Ut taceam, me aliquot Epilepsiæ species, præcipue ab animi gravioribus ortæ pathematibus, penitus eradicasse cortice nostro cui addidi specifica quædam antepileptica dicta, e. gr. Radicem Pœoniæ, Valerianæ Sylvestr. l. Pentaphylli, aut viscum quercinum &c. pro morbi hujus indole, ætate, vel sexu ægrotantis. Sic quoque motibus nonnullis infantum epilepticis mederi hunc corticem, experientia constat; nimirum ejus pulveris drachmam unam vel alteram aquæ tepidæ commixtam, enematis loco tenellis ejusmodi; hoc morbo correptis ægrotis, cum successu injicere, operæ pretium feci.

Actio hæcce Corticis in fibrillas vasorum & viscerum musculares & nerveas, ut & in nervorum liquidum, ad motus violentos spasticos harum partium compescendos directa, usum ejus exhibet minus proficuum, imo potius noxium, quando illum ægrotis, febribus continuis, vel etiam continuis remittentibus detentis promiscue porrigimus; cujus rei rationem illum fugere nequit, qui mecum considerat, expositam hactenus hujus remedii efficaciam, ad fibrillarum, nervorum, horumque liquidi motus, in frigore febrili solummodo cohibendos, in quolibet intermitten-

tium acceſſu denuo revertentes; æſtum vero febrilem, reliquaque febris phænomena medicamen hocce minime attingere vel mutare, experienta docet. Sub ingreſſum febris continuæ, unicam ſaltem frigoris febrilis conquaſſationem, quandoque leviorem commotionem ſolummodo ægrum infeſtare notum eſt, reliquum autem febrium continuarum decurſum febrilem æſtum & inde pendentia ſymptomata abſolvere, ut violenta hacce ſanguinis commotione, ad plures dies protracta, febris cauſa materialis critice eliminari poſſit, nemini artis perito latet. Experientia autem nos docuit, quod a cortice, in larga etiam doſi exhibito, nulla ſenſibilis, per alvum, renes aut cutem evacuatio ſubſequatur. Adminiſtrando ſic remedium hocce in febribus continuis, quarum unica & perfecta ſanatio, a criſi debita & ſufficienti expectanda eſt, viam ſumme neceſſariis iſtis evacuationibus præcludimus per medicamentum hocce, quod fibras vaſorum roborando omnem humorum motum reprimit, quo evacuationes ejusmodi criticæ peraguntur.

Sic ægrotum vidi febre biliosa correptum, cui ſtatim poſt febris ingreſſum, peruviani corticis extractum ter vel quater de die fuit exhibitum, ſed febris per quatuor circiter ſeptimanas eodem tenore protracta, cum nulla hocce intervallo critica evacuatio ſubſequeretur, materialis cauſa febrilis in corpore retenta; & per metaſtaſim ad pectus delata, aſthma ſpasmodicum effecit, quo æger a febre debilis & extenuatus valde per menſes quindecim conflictus eſt, donec tandem medicamentis idoneis, & itinere longinquo, meo conſilio ſuſcepto, aere mutato, & ſic diſſipata denique aſthmatis cauſa, priſtinæ tandem ſanitati reſtitutus fuit. Ita juveni robuſto, viginti circiter annos nato, febre quotidiana continua, quam catarrhalem vo-

vocant, decumbenti, cortex quotidie aliquot vicibus exhibitus, crisim expectatam reprimendo, sicque pituitosam in pulmonibus colluviem accumulando, ægrum in febrem lentam projecit, quæ diutius protracta, scirrhosos in hoc viscere nodos constituit, unde functio ejus debilitata valde, corpus robustum in debile & emaciatum mutavit, nulla arte restituendum.

Plura ejusmodi exempla, in praxi mea sæpius obvia, recensere adhuc possem, nisi prolixitate nimia lectori tædium movere meruerem. Interim necessariam aliquo modo digressionem hanc fuisse judico, ut mentem meam de genuino corticis peruviani usu, quem in praxi expertus sum, exponere eo melius possem.

Sic ex hactenus expositis non obscure patet corticem febris causam materialem minime auferre, quamvis prædisponentem ejus causam utplurimum feliciter tollat, quoniam causæ materiales ipsos febriles motus etiam violentiores & sæpe diuturnos postulant, ad obstructiones scilicet vasorum & viscerum contumaciores, medicaminum appropriatorum adminiculo, reserandas, quæ sensim ut remotiores causæ febri formandæ ansam dederunt, quibus nempe per velocem & præternaturalem in cruore excitatum febrilem motum, a cordis & arteriarum actione ortum, omne id quod lentescens, coagulatum & obstructum in corpore hæret & humorum circuitu resistit, dissolvi, comminui, moveri, & critice successive evacuari iterum possit; qui sane effectus febris motibus præcipue, imo unice adscribendos esse, artis periti haud ignorant.

Ita quoque ratio patet, cur intermittentes ejusmodi febres, a visceris cujusdam obstructione ortæ, si statim initio motus hi febriles, ad obstructiones hasce

referandas necessarii, per *corticem* assumptum supprimuntur, febris causa materialis intra corpus detenta, morbos sæpe chronicos, febre præcedente longe periculosiores excitat, cum maximus illorum numerus, qui asthmate, phthisi, ictero, hydrope &c. laborant, affectuum horum originem, ab intermittentibus febribus præmature cohibitis repetunt, quorum aliqui revertentis febris suppressæ adminiculo sanitatis restitutionem quandoque admittunt.

Difficillima autem febris quartanæ eradicatio integra, causæ materialis tenacissimæ indolem, in cruoris massa aut viscerum recessibus latentem satis superque prodit, nam sibi relicta, ejus febriles motus violentiores, per anni spatium & ultra successive invadentes obstructioni referandæ aliquando vix sufficiunt, prout ætas scilicet, temperamentum, vitæ regimen & regionis in qua ægri degunt conditio, morbo huic fomitem magis vel minus præbere solent. Experientia itaque & observationibus, tot annorum spatio toties reiteratis didici, hujus febris sanationem minime in causæ prædisponentis ablatione (frigoris scilicet & caloris accessum reprimendo) consistere, sed in successiva causæ materialis tenacissime, in visceribus latentis eradicatione quærendam esse; Facillime quidem frigoris & caloris febrilis suppressio, postquam peruvianus cortex innotuit, obtinetur, sed causa febris remota & materialis intacta utplurimum remanere solet, cum post septimanam unam vel alteram, eodem vigore febris, quandoque auctis viribus revertitur; & si denuo, remedii hujus ope, accessus frigoris & caloris exstinguitur, recuperatis quasi, remota hacce, viribus, brevi iterum redit, & continuatis hunc in modum suppressionibus, cum materialis causa febris, corpore sensim debilitato, augetur potius quam

imminuitur, augeri quoque ac duplicari solent accessus, inde quartana duplicata vel etiam triplicata quandoque exsurgit, ægrotis molestissima ne dicam periculosissima, nimirum perversa hacce methodo continuata, postquam integras corticis libras comederunt successive ægri, tantas virium jacturas experiuntur, ut febris motibus amplius excitandis impar & extincta quasi, coacervatas in corpore obstructiones dissolvendas penitus deserere cogatur, sistens postmodum ægrotum, febre quidem immunem, sed in functionibus præcipue naturalibus maxime debilitatum, proinde viscerum abdominalium obstructiones pertinacissimas foventem, quæ denique morbos chronicos pervicaciores, utpote leucophegmatiam, anasarcam, hydropem, icterum &c. constituunt.

Ut autem peruvianum corticem, a periculosi remedii opprobrio, a perverso orto applicationis methodo, vindecimus, genuinum necesse est illum exhibendi modum eruere, quando nimirum & quibus cautelis usus ejus in febribus intermittentibus & præcipue in quartana exposcitur. Ex antea dictis patet, febris materialem causam obstruentem, per auctos & repetitos febriles motus dissolvi, moveri, & corpore per excretiones naturales eliminari posse, id quod se ipsam dissipando, nullo prorsus medicamine adhibito, febris tertiana vernalis quandoque monstrat. Propterea ad quartanam tuto profligandam, fida duce experientia toties reiterata, compertum habeo, sanationem ejus inchoandam esse eadem methodo iisdemque remediis, paulo ante in tertianæ febris curatione paucis expositis. Materialis nimirum causa febrium intermittentium, cum radices suas in quartana profundius quam in reliquis febribus egerit, tanto magis opus erit, ut incidentibus & resolventibus remediis impactum obs-

truens movere, diluere & humorum circulo iterum reddere allaboremus; qua indicatione neglecta, corticis peruviani usus, in motu febrili spasmodico refrenando, vires quidem suas exserere haud omittet, sed remanente sic materiali febris causa in corpore intacta penitus relicta, statim ac corticis energia fuerit dissipata, febriles motus auctis quodammodo viribus denuo resuscitentur, adeo ut post tertiam vel quartam febris, per corticem inductam suppressionem, paroxysmi febriles, maximo ægrotantium incommodo, duplicata vel etiam triplicata hacce febre, multiplicabuntur, uti jam antea monui.

Qamobrem ægroto, quartana febre, correpto, ad primas ut dicunt vias leviter eluendas, laxans ex Rheo, cum Sale quodam medio acuato, porrigo, nutrimenta facilioris digestionis, assumenda, una cum vitæ convenienti regimine servanda injungo, medicamenta aperientia, dissolventia cum diluentibus idoneis sociata, diebus a febre vacuis adsumenda præcipio; præterlapsis tunc octo vel decem paroxysmis, diebus intercalaribus, peruviani corticis decoctum aquosum, vel etiam aquosovinosum, ad extrahendas melius resinosas ex cortice partes, singulis duabus vel tribus horis hauriendum suadeo, hacce cum cautela, ut æger summo mane & cubitum iturus, drachmam dimidiam pulveris ex salibus mediis, Arcano duplicato, vel Tartaro vitriolato & Nitro cum absorbente marino, acido Citri saturato, mediante aqua deglutiat. Et ne semper in protractiore hujus febris decursu eadem chorda oberremus, pulveribus hujusmodi substituenda sunt extracta illa amara, superius in tertiana febre recensita, in terræ foliatæ tartari liquore soluta, & aquis distillatis additis potabilia magis reddita, quæ ob egregiam resolvendi virtutem, febris hujus materialem causam

destruendi efficaciora præ reliquis deprehenduntur. Cum corticis decoctum, palato minus gratum, aversari & nauseam creare incipit, præcipue si accessus eodem sæpius vigore revertuntur, tunc corticis pulverem nonnulli, cum Syrupo quodam Electuarii vel Boli consistentiam redactum, adsumere cupiunt; Optimo sæpe cum successu corticis pulverem, cum Eleosacharo, ex essentiali Chamomillæ oleo paratum, miscui & ad febrem hanc profligandam exhibui, quod remedium, cum palato minus ingratum sit, ægroti non adeo aversantur. Sed si proceres delicatioris gustus, & matronæ quæ fastidientis stomachi sunt, morbo hoc diutius protracto detinentur, & remedii amaritudinem respuunt, gustum ejus ingratum occultare possumus, si decoctum corticis aquoso vinosum, exhalatione blanda super ignem in Extracti formam cogitur, cui, si decima circiter Croci Martis Antimoniati portio admiscetur, & Pilulæ inde formatæ, ad dimidiæ drachmæ pondus quotidie adsumuntur, palato minus ingratæ, efficaces ad febrem pellendam fuisse recordor.

Febre denique, adsumpto cortice, quocumque modo præparato, disparente, de reditu ejus nemo tutum ac securum reddere poterit ægrum, tanto magis, si neglectis supra recensitis resolventibus interponendis, cortici solo, febris sanatio committitur, etenim febre quartana recidiva nihil frequentius; hoc interim induciis ejusmodi factis efficitur, quod ægri constitutionis debilioris, vel ætate provectiores, denuo vires colligere possint, quibus post septimanas aliquot, febris revertentis insultibus eo efficacius resistere valeant. Nonnulli quidem Medici ad febrem recidivam hanc avertendam, corticem cum laxantibus, vel etiam alterantibus quibusdam, aut ex Marte confectis reme-

diis permixtum exhibent; promiſſis hisce confidens varia tentavi ſed fruſtra plerumque; Interim indicationi ſuperius traditæ, de quartanæ febris cauſa remota abigenda ſollicitus, corticem remediis nonnullis, huic indicationi deſtinatis, diverſimode junxi, donec tandem medicaminis compoſitionem ſequentem, intentioni meæ respondentem ſæpius cum ſucceſſu expertus ſum: *Recipe Corticis peruviani optimi in pulverem redacti Uncias quatuor, Corticis Caſcarillæ pulveriſati Unciam unam, Herbarum conciſarum Centaurei minoris & Cardui benedicti ſingularum Drachmas ſex, mixta infunde & digere per horas tres in aqua communi & vino gallico rubro ana Unciis ſedecim; poſtea in phiala alta per horam unam leniter decoque, tunc colaturam, cum expreſſione reſidui factam, exhala ad Syrupi fluidioris conſiſtentiam, admiscendo denique Syrupi Cinamomi Unciam dimidiam*, tunc Mixtura febrifuga parata erit quartanariis omni trihorio, diebus intercalaribus, ad drachmas duas vel tres in aqua ſimplici diluta exhibenda. Poſteaquam integra hujus medicamenti portio ſucceſſive fuerit exhauſta, febris ſubſequens acceſſio debilior longe adparebit, vel etiam penitus evanescet; plerumque duabus hujus remedii portionibus, rariſſime tribus ſucceſſive aſſumptis, quartanas maxime inveteratas febres ſuſtuli absque recidivæ metu, nec morbi cujusdam chronici ſubſecuturi periculo, præſertim cum æger ſub morbi initium medicamentis reſolventibus, ut antea monui, per ſeptimanas aliquot, ad materialem febris cauſam amovendam, legitime fuerit tractatus.

Inſuper cautelæ de tempore opportuno, quo cortex adhibendus in febribus eſt *a ſummo Bœrhaavio* traditæ, reperiuntur in ſuis quos de cognoscendis & curandis morbis conscripſit Aphorismis, & in ejus Com-

mentatore *perilustri de Swieten*, ut & in doctissimo libro quem de Febribus tradidit celeberrimus *Werlhofius* &c.

Non defuere autem Medici hisce temporibus, qui opio & ex illo præparatis remediis, corticis peruviani similem, in febribus exstirpandis efficaciam & virtutem tribuere solent; quorum præcipui sunt *Ettmullerus*, *Blancardus*, *Wedelius*, *Freindius*, & nuperrime adhuc in Gallia Medicus *Berryat* dictus. Antiquis quidem Medicis nonnullis, utpote *Galeno*, *Coalliano*, *Avicenna* &c. ignoscendum est, quod ex defectu remedii specifici, in quartana febre, Opium, Theriacam, Hyosciamum & similia stupefacientia exhibenda suadeant; Sed fallax est conjectura illa, minimeque experientia suffulcita, quod, cum opium functionum vitalium & animalium motus labefactet vel supprimat, proinde & spasticos febriles motus amovere ac tollere potens sit. Præcipiunt insuper in hunc finem opii præcones, imprimis, *Berryat*, ut mox instante frigoris febrilis accessu, opium vel ejus laudanum liquidum ægroto porrigetur & optatum inde promittunt effectum; funestam autem vidi hanc operationem in viro sexagenario quartana correpto, qui a laudano, instante paroxysmo exhibito, comate somnolento correptus sexto post adsumptum laudanum die, phreniticus mortuus est. In juvene, viginti & quinque annos nato, pilulæ ex opiato laudano cum aromatibus, ad febrile frigus arcendum, mixtæ, & largiori dosi exhibitæ, reprimendo tertianæ febris paroxysmo efficaces quidem deprehensæ fuerunt, sed ingruens postea præcordiorum inflammatio, tertianam, in febrem inflammatoriam paraphreniticam commutaverat, quam, cum in summo vitæ discrimine versaretur æger, tandem per venæ sectiones reiteratas & reliqua convenientia

antiphlogistica medicamenta superavi, & inde edoctus fui, opium præter vim stupefacientem, febrilibus naturæ motibus minime congruum, etiam vires calefacientes acres & aromaticas possidere, in frigoris febrilis accessione valde nocivas, quas operosissime rimatus est celeberrimus Vratislaviensium Polyater *Trallesius*, in doctissimo quem de Opio conscripsit libro.

DE FEBRIBUS

Continuis remittentibus in genere, & in specie de Veterum Quotidiana continua, seu Catarrhali benigna Recentiorum.

SECTIO V.

UBI in febribus continuis notabilis remissio, cum subsequente iterum exacerbatione observatur, tum febres ejusmodi, uti notum est, continuæ remittentes, Græcis Medicis vero συνεχέες πυρετοὶ sive continentes febres dicuntur; si remissio hæc singulis diebus deprehenditur, *quotidiana continua* vocatur, si vero alternis diebus contingit *tertiana continua* dicitur; illa videtur composita esse ex *continua febre, synocho simplici & quotidiana intermittente*, hæc vero *ex febre continua*, scilicet *synocho*, vel etiam *Causo, aut biliosa febre & tertiana intermittente*, conflata, quasi observatur. Recentior vero Medicorum schola, neglectis hisce distinctionibus, *febri quotidianæ continuæ remittenti*,

febris catarrhalis benignæ, utpote magis conveniens nomen imposuit.

Febris autem hæcce nimirum *Catarrhalis benigna*, in nostris hisce oris frequens magis quam in calidioribus regionibus occurrit, quamobrem exactam ejus descriptionem in græcis Auctoribus frustra quærimus; ejus decursum vero sequentem in modum sæpius observavi: Invadit cum horripilatione & frigore, horis plerumque vespertinis, utplurimum autumno incipiente, cum notabili totius corporis languore & obtuso capitis dolore, quem gravedo, aut coryza, mox raucedo concomitantur, una cum tussi violenta quandoque utplurimum sicca, & deglutionis molestia. Frigus quod intra horæ spatium terminatur, excipit calor per multas horas infestans, qui denique sudore, horis matutinis prorumpente, infringitur quidem, sed non plenarie exstinguitur, cum novo versus vesperam accessu febris denuo exacerbatur. Pulsus in toto febris decursu celer & frequens deprehenditur, & lotium emissum, postquam ad vitri latus tenuem & albicantem pelliculam affixit, sedimentum roseo-pallidi coloris ad fundum dimittit. Cæteroquin si medicamentis incongruis haud turbatur febris hujus decursus, nec errores in vitæ regimine committuntur, sat placide intra duas vel tres septimanas terminari solet.

Febris hujus catarrhalis seu pituitosæ denominatio, causam ejus remotam haud obscure indicat; Aeris nimirum æstivi calidi in frigidiorem, autumnali & hyemali tempore, subita permutatio, perspirationem cutis imperceptibilem successive minuit vel supprimit, inde major humoris superflui copia, per cutem eliminanda intra corpus coacervatur, quæ vasa minima replet & obstruit, & sic extra circulum positæ serosolymphaticæ sanguinis partes lentescunt, in pituitam con-

vertuntur, causamque proximam ad motus febriles excitandos constituunt. Sic & æstivo tempore corpus valido motu exæstuatum, cum subito aeri humido frigidiusculo exponitur, eamdem in sanguine massa febris catarrhalis causam, ab humidi transpirabilis retentione excitare potest, quotidiana teste experientia.

Pituitæ hujus intra corpus collectæ copia, lentor & tenacitas, hujus febris quotidianæ exacerbationis rationem aliquo modo reddere videntur; nimirum a calore febrili excitatus & auctus sanguinis motus, humoris pituitosi stagnantis partem quidem resolvit & per sudorem dissipat, reliquum spissum vero, a motu febrili prægresso, in vasculis extensis & elatere destitutis, compactum magis redditur, humidum transpirabile febre remittente sistitur, cutis exsiccata circuitu serosi sanguinis in vasculis obstructis denuo obstaculum creat, sic seri copia, contra obstructum accumulata, motu cessante vel imminuto, in pituitam obstruentem iterum convertitur, unde obstructio augeri, & nova caloris & attritus causa, sive febris exacerbatio reiterata suscitari omnino debet; donec tandem repetitis sic quotidie & auctis hujus febris insultibus, obstruens pituita, per resolventia medicamenta cum diluentibus adhibita, denique per sudorem & urinam expulsa, febris revertentis causam in corpore penitus destruit. Hisce positis, non opus facile erit, duplicem hujus febris originem quærere, eamque ex febre continente & intermittente conflatam statuere.

Quemadmodum vero pituitosa hæcce, a frigido humidoque aere orta colluvies, in exteriori corporis involuero accumulari, & ad febrem producendam obstructiones catarrhales & pituitosas efficere potest; ita ab eadem causa, aer hujus indolis, cum pro res-

pirationis negotio, per fauces & tracheam ad intimiores pulmonum recessus indesinenter ducitur, omnes illas partes, quas in transitu perpetuo tangit, simili pituitosa obstructione afficere valet, hinc in salivæ secretionis glandulis, in faucibus, palato, tonsillis, narium pituitaria membrana, in copiosis harum partium ut & pharyngis, laryngis & asperæ arteriæ lymphaticis ductibus, ad ultimas usque pulmonum vesiculas exporrectis, easdem pituitosas obstructiones productas sæpe offendimus, unde harum partium tumores, anginæ diversæ species, gravedo, coryza cum raucedine, tusses variæ, peripneumoniæ spuriæ &c. utpote catarrhalis hujus febris comites, originem ducere possunt, uti omnibus notum est. Excitantur autem, vel ad minimum augentur hæcce hujus febris pathemata, quandoque ex neglecto vitæ debito regimine vel per incongrua adhibita remedia. Sic per commissos, hunc in modum, errores, inflammatorias stases, suppurationes & abscessus in dictis partibus obstructis aliquoties vidi; & ex resorbta, ad interiora viscera delata, corrupta jam ulcerascente materia, acutas & inflammatorias febres, funestis stipatas symptomatibus observavi, quæ tamen omnia, quamvis periculosa valde phænomena, evitari omnino possunt convenienti methodo, in febris hujus medela sub initium statim administrata.

Viscida & tenax seri sanguinis per causas remotas antea recensitas in pituitam mutatio, & inde nata in vasculis minimis obstructio, cum causam hujus febris proximam constituat, ejus dissolutio & soluti iterum circulo cruoris restitutio, & corruptis superflui expulsio, sanationem febris hujus absolvit. Solutio pituitosi per incidentia salina, & per diluentia resolventibus imprægnata, impetratur; expulsio pituitæ solutæ su-

perfluæ, per ſecretiones naturales, maxime transpirationis & ſudoris abſolvitur. Itaque curationem hujus febris aggreſſus ſum blanda primarum viarum expurgatione, quo ſcopo potiunculam ex Rhabarbaro & Senna, addito Tartaro ſolubili, vel ſolutionem Salis Anglicani, aut Sedlizenſis vel de Seignette exhibui. Quo facto, horis matutinis, ubi febrilis calor paulo remiſſior eſt, infuſum Theiforme ex Radicibus Sarſaparillæ, Chinæ, Caryophyllatæ, Polypodii & ſimilibus, adjecta in refracta doſi Caſſia lignea, hauriendum ſuadeo, poſtquam guttulas 60 & ultra Mixturæ cujusdam ex Eſſentia Rad. Pimpin. alb. & Vincetoxici in hauſtulo Aquæ commun. adſumpſit æger. Poſtea bis de die, antequam vesperi nova febris exacerbatio invadit, pulvis ſequens reſolvens diaphoreticus deglutitur. recipe Lap. Cancr. acido Citri ſaturat. gr. vj. Antimonii diaphoret. gr. iv. Tartari vitriolati gr. viij. Pulv. Rad. Aron. gr. iv. Cinabar. ppt. gr. ij. Misc. Nocturno vero tempore, cum febrilis nova exacerbatio calorem auxit, potiunculam per intervalla haurire hunc in modum compoſitam convenit. Recipe. Lap. Cancr. drag. j add. Suc. Citr. rec. drag. vj. vel viij effervescentia ſedata admisc. Aqu. Card. ben. Fœnicul. & Borragin. ana unci ij. Nitri depur. & Arcan. dupl. ana ſemidrag. Syrup. Cinamom. drag. iij. Miſc. Medicamentis hisce, per ſeptimanam unam vel alteram, continuatis, pituitoſa colluvies ſoluta per transpirationem & ſudorem utplurimum difflatur, aliquando per renes & alvum ſimul ejicitur, quod ſi alvus non ſuccedit & febrilis calor inde augetur, clysmata injicienda ſunt: purgantia fortiora, maxime circa morbi initium minime conveniunt, fluidiorem lymphæ & ſeri portionem ex ſanguinis maſſa aufferunt, reſiduum inspiſſant & pituitam obſtruentem augent. Diarrhœam autem, in febris

decursu, sponte ortam tanquam crisim salutarem sæpius deprehendi, febrem catarrhalem brevi eradicantem. Victus sit tenuissimus, maximam partem ex jure carnium constans,& infusum panis cum drag. 3 vel 4ta parte vini permixtum, potus gratus & reficiens erit. Aer frigidus, & humidus nocet, febrem protrahit & pertinaces circa fauces, guttur & pectus metastases introducit. Hisce observatis & remediis dictis adhibitis, catarrhales febres facile profligantur modo statim sub morbi hujus initium ad curationem suscipiendam consulimur, sicque innumeros sanitati integræ restitui; Sed tristes quoque hujus morbi male tractari recordor effectus, cum accersitus, nonnunquam deploratos ab evacuationibus nimiis & violentioribus offendi ægros, quos reiterata sanguinis per V. Snes detractio, & violentiores per vomitum & per alvum evacuationes, tumores schirrhosos irresolubiles in parotidibus & glandulis submaxilaribus causaverant; alii per sudorifera coacta & alexipharmaca calidiora tractati, inflamtorias stases in gutture & pulmonibus nacti, febres lentas & hecticas ex ulcusculis & pulmonum vomicis retulerunt; lethalem quoque anginam vidi ex stasi laryngis inflammatoria (hac perversa methodo) productam. Sic paucis abhinc annis appellatus fui ad virginem quandam nobilissimam in ætatis flore constitutam, catarrho suffocativo, ceu nuntius mihi referebat, morituram: in sella illam sedentem reperi & corpus situ erecto & suspenso quasi a domesticis sustinebatur, vox penitus extincta erat, & laboriosissima tardaqua valde respiratio cum sibilo acuto peracta, instantem annunciebant suffocationem: retracta statim magna vi inferiori maxilla, & depressa aliquantulum rigida & ex atro rubente lingua, amygdalas utriusque lateris, uvulam cum palati velo in informem sphæricum tumo-

rem convoluta & expanſa, omnem, verſus laryngem & pharingem aditum præcludentia, detegebam, & cum ſummum in mora periculum fore judicarem, ilico lanceolam, vagina argentea tectam intruſi, & cuspide qua elatere dirigebatur tumorem hinc inde aperui, unde puris, ſanguineis ſtriis mixti, incredibilis quantitas proſiluit, applicatis poſtea convenientibus remediis, ægra letho erepta pulcherrimam corporis ſui formam perfectæ reſtitutam denuo vidit: Morbi hujus truculenti originem exploraturo mihi referebat ægrota, a ſaltatione nimia protracta, corpus ſudore diffluens aeri humido frigidiusculo (ſe ſubito) expoſuiſſe, & neglecto poſtea vitæ regimine atque diæta, triduo poſt, febrem catarrhalem contraxiſſe, eo quidem tempore ubi menſium fluxus prorumpere debuiſſet, quo non ſubſecuto cum alvus ſimul adstricta fuerit, ſe febrilis caloris augmentum, & a gravedine obtuſum capitis dolorem percepiſſe, cumque remediis calefacientibus & Tincturis bezoardicis & alexipharmacis, ad ſudorem expellendum, uſa fuiſſet, neglecta menſium & alvi obſtructione, dolorem pungentem inter deglutiendum, & tumorem amygdalarum, reſpirationem & deglutitionem penitus præcludentem, acquiſiviſſe, poſtquam per tres dies intolerabiles ab inflammatione glandularum in faucibus perpeſſa fuiſſet dolores.

De reliquis Febribus continuis remittentibus, Tertiana nempe & Quartana continuis.

FEBRIUM diverſarum motuumque febrilium varia aliquando complicatio illarum extricationes ſæpe

ſatis difficiles & ambiguas reddit; deprehenduntur enim juxta nonnullorum Auctorum obſervationes conflatæ jam ex febre intermittente & continente febre, e. gr. ex Synocho & quotidiana aut tertiana, vel ex duabus continentibus Synocho ſcilicet ſimplici & putrida, mox ex continente & continua, Synocho nimirum & febre bilioſa aut catarrhali maligna, iterum ex febre intermittente & acuta inflammatoria, cum v. gr. phrenitis, pleuritis, hepatitis &c. ſingulis vel alternis diebus exacerbationes patiuntur &c.

Harum diſtinctionum nonnullas magis ingenioſas quam utiles & neceſſarias eſſe exiſtimo; Interim præcipuæ harum febrium complicationes quas in praxi mea deprehendi, ſunt febris intermittentis catharrhali benigna connubium, prior, ſcilicet intermittens, exacerbationem vel ſingulis vel alternis diebus producit, inde quotidiana continua, (de qua ante) vel tertiana continua reſultant; Sic quoque febris intermittens cum acuta, ſcilicet pleuritide vel peripneumonia non raro coalescit, id quod exacerbationes, vel ſingulis vel alternis diebus, maxime verſus veſperam ſe manifeſtantes, ſæpius confirmant. Non raro etiam tertianam intermittentem cum catarrhali maligna aſſociatam vidi; Denique febris bilioſæ vel ardentis cum intermittente conjugium ipſe expertus ſum & in aliis quandoque obſervavi; Quartanæ autem intermittentis cum alia, vel continente vel continua manifeſtam conjunctionem nunquam videre mihi contigit, ejus quidem exiſtentiam negare non audeo, ſaltem inter rariſſimas illam referendam eſſe cenſeo.

Sanatio harum febrium complicatarum peculiarem methodum haud poſtulare videntur; Regula interim generalis in earum tractatione hæc eſſe poterit: Quod illa febris ſpecies, quæ prius invadit, vel quæ

periculosior, & gravioribus stipata est symptomatibus in curatione potissimum attendenda sit, & remedia eorumque applicandi modus ad illam abigendam dirigenda: ita febris acuta inflammatoria methodo huic febri convenienti tractanda, exiguo respectu habito, ad intermittentem quæ illam quandoque comitatur, & sic de reliquis.

FEBRIS CATARRHALIS

Maligna cum vel sine exanthematibus apparens.

SECTIO VI.

MALIGNITATIS vox, in recentiorum Medicorum scholis recepta istam febris indolem denotat, qua morbus febrilis vehemens per contagium communicari & epidemice grassari solet; & hæc est differentia illa, qua febris catarrhalis maligna, a simplici ista benigna, superius considerata, potissimum distinguitur. Imperceptibilis plane materies ista inficiens, & omnem sensuum nostrorum aciem fugiens, tanquam causa proxima, prædisponentem, in sanguinis massa pituitosam colluviem reperta, mox motus febriles accendit, cui signis sequentibus præcipue cognoscuntur; conveniunt quidem ex parte hæc cum istis, in catarrhali simplici febre recensitis, sed longe graviora & consequenter periculosiora deprehenduntur; Occurrit statim summa totius corporis, circa febris insultum,

tum, debilitas & lassitudo cum notabili subinde animi abjectione & inquietudine, quæ signa hujus morbi pathognomica constituunt, pulsus plerumque debilis, parvus, & frequens, undulans, quandoque durus simul, dolores tensivos, prementes, in capite, dorso, lumbis & artubus sentiunt, ægroti omnem cibum fastidiunt, agrypnia quidem laborant sed nullo somno reficiuntur, proinde ad delirium proni sed voce, ob debilitatem interrupta, incongrua effutiunt; æstus initio morbi moderatus postmodum augetur & fere eodem continuat tenore, horis matutinis quandoque mitior apparet, sed circa vesperam vehementius adoritur; Lingua sub initio sicca & albicans, postea atro rubentem colorem induit, aut crusta nigra obducitur; aphthæ non raro se manifestant, quandoque angina difficilem reddit una cum deglutitione respirationem, quæ antea jam nimis laboriosa succedebat; Cutis primis diebus plerumque sicca & lotium in initio a naturali parum differt, mox crudum vel cerevisiæ turbidæ instar, aliquando atro ruffum absque sedimento cum nubecula suspensa cernitur, & licet sitis valde urgeat, nullo tamen potu delectuntur ejusmodi ægroti; Nonnulli diarrhoeam primis diebus patiuntur sed sine levamine, alii ructibus putridis vomendique conatibus vel vomitu bilioso succedente cruciantur, & de cardialgia valde dolente tunc conqueruntur; Ad pectus quandoque delata contagiosa hæc febrilis materia symptomata producit pleuritidis vel peripneumoniæ æmula, & in hepate congesta icteritii coloris vestigia in cute externa exhibet. In morbi progressu sensus externi debilitantur, torvo vultu, oculos turbidos quandoque inflammatos vertunt vel figunt, surdi deprehenduntur, & ex siccata lingua & pituitaria nasi membrana gustus & olfactus impeditur, &c. Hæc sunt præcipua morbi hujus atrocis

ſigna, quæ ipſe ſæpius, elapſis annis 1726, 1736, 1741, 1757 & 58 imprimis annotavi, cum ægrotis febre hacce maligna decumbentibus medicinam feci.

Sed cum in plurimis ægris qui hoc morbo corripiuntur, maculæ in cute externa erumpunt, ἐξανθήματα a Græcis Medicis dictæ, quæ cum, coloris, magnitudinis, figuræ & conſiſtentiæ (ratione) valde diſtinctæ ſint, ad prognoſim ſtabiliendam vero illarum conſideratio valde neceſſaria ſit, ulteriori examini eas ſubjicere non ſuperfluum eſſe exiſtimo. Quamvis febres hæ malignæ exanthematicæ in Græcia, ubi ars medica natales ſuos repetit, non adeo frequenter fuerint obſervatæ, nihilominus veſtigia puſtularum, in morbis quibusdam in cute propullulantium, annotata reperimus apud *Hippocratem* *, *Galenum* **, *Celſum* ***, *Trallianum* **** *Actuarium* *****, *&c.* Sed in oris noſtris ſeculo elapſo & præſenti ſæpius obſervata febrium malignarum epidemice graſſantium irruptiones, quæ Medicorum recentium induſtriam excitaverunt, ut accuratiores morbi hujus inveſtigationes, deſcriptionesque ſimus nacti. Inter primos, qui ſeculo præcedente epidemicos morbos per contagium communicatos penitius excuſſerunt, nominandus venit, indefeſſus morborum explorator *Sydenhamus*, & ante illum, *Fracaſtorius* ****** & *Sennertus*, quorum ille in

* *Hip.* 2. Epid. Sect. 3. *Hip.* de locis in homine cap. 12. it. Epidem. l. 1. morb. Sileni, pag. 674. deſcribens, ut & Aphor. 9. Sect. 6.

** *Galen.* Method. medend. l. 5. c. 12. cca finem.

*** *Celſ.* l. 5. c. 28. §. 15.

**** *Trallian.* l. 5. &c.

***** *Actuar.* de Method. medend. l. 1. c. 23.

****** *Fracaſt.* de morb. contagioſ. l. 2. c. 6.

Italia, hic in Germania principatum in arte medendi (tunc temporis) tenuerunt. Sub initium vero præsentis seculi, celeberrimi Hallensium Professores & Archiatri regii *Stahlius* & *Hoffmanus*; in phænomenis harum febrium explicandis omnem operam impenderunt; & ex recentissimis, qui nostris temporibus maxime in nosocomiis & castris, observationes egregias de febribus hisce malignis epidemicis collectas publicarunt, notari merentur clarissimi Anglorum polyatri *Huxham & Pringle &c.*

Probe autem notandum, quod non semper in omnibus ægrotis, qui febribus hisce epidemicis corripiuntur exanthemata appareant, licet iisdem plane phænomenis, & eadem morbi atrocitate & periculo excrucientur ii, qui nec vestigium pustularum quarumdam in toto morbi decursu monstrant. Quare celeberrimus *Stahlius*, febrium malignarum prudentissimus explorator, hasce, quæ sine exanthematum eruptione occurrunt febres, nihilominus symptomatibus periculosissimis ægrotos, infestare solent, febres malignas petechizantes adpellare consuevit. Frequentiora autem, febrem hancce concomitantia exanthemata, quæ in praxi mea se multoties conspicienda præbuerunt, sequentia hæc imprimis sunt: 1) *Purpura dicta rubra*, quando noduli parvi rubri, milii seminis magnitudine in cute elevantur, qui aliquando, post unum vel alterum diem, in flavas vesiculas resoluti exsiccantur, & sub squamularum forma decidunt. 2) Parum differt a priori *Purpura alba* improprie sic dicta, quando punctula rubella quidem, sed statim in vesiculas ex flavo albicantes mutata, extra cutem emergunt: ambo hæcce exanthematum genera, in aliis morbis non æque malignis, uti in puerperis, sæpius efflorescere solent, & tunc *febres miliares vel purpuratæ*

nuncupantur morbi hi. 3) *Purpura veſicularis pellucida*, ubi epidermis elevata, veſiculas parvas innumeras tranſparentes attollit, exiguæ utplurimum conſpiciuntur, aliquando tamen ad lentium magnitudinem adſurgunt, quas nullibi, quam in febribus malignis offendi. 4) *Petechiæ* ita dictæ, quæ ſub forma macularum, culicum morſibus ſimilium in cute adparent, nec puſtularum inſtar attolluntur, ſed planam cum cute ſuperficiem ſervant, coloris jam roſei & floridi, vel obſcure rubicundi, aliquando atro-purpurei aut plane nigri; interſperſas illas quandoque vidi puſtulis illis jam deſcriptis purpuræ nomine inſignitis.

Contagio communicari & epidemice graſſari febres haſce, exanthemata ejusmodi utplurimum monſtrantes, ſuperius annotavi; contagii materiem miasma (inquinamentum) vocant, quod μίασμα ſumme ſubtile & maxima activitate præditum, per contactum, vel potius aeris vehiculo ſuſpenſum, per reſpirationem corpori humano communicatur. Materia hæcce ut minima & plane imperceptibilis, vim tamen poſſidet, ſanguinis maſſæ cui committitur, iſtam imprimendi qualitatem, ut omnia illa phænomena, ſub ſignis antea recenſita, producere valeat; Nec imperceptibilis materiæ hujus tenuitas impedit, quo minus tota ſanguinis maſſa nocivo hocce miasmate infici ac efficax reddi poſſit, ſimilem morbum in corpore ſano producere ac ille in corpore ægroti fuit, ex quo miasma hoc ſub alitus forma ſe ſubduxit. Confirmatur hoc evidentiſſimo miasmatis ex morſu viperarum aut canis rabidi, vel etiam miasmatis varioloſi exemplo, cujus exigua, quæ vix imaginari poteſt, portio, ſerici filo affricta, ſi vulnuſculo cuti inflicto, filum iſtud per dies aliquot immerſum ad variolas *arte* vel *per ino-*

culationem provocandas relinquitur, totam ſanguinis ſeroſo-lymphaticam partem in ejusmodi miasma contagioſum convertit, quo tota hinc inde corporis ſuperficies in puſtulas ſuppuratione deciduas obtegitur.

De miasmatis exanthematici ortu & origine quidem conſtat, illud per contagium ex ægroti, exanthematibus decumbenti corpore, in aliud cæteroquin ſanum transplantari, unde fit ut maxima pars hominum, in eodem loco, vel in vicinia degentium, febribus ejusmodi exanthematicis corripiatur. Sed cum non omni tempore febres ejusmodi malignæ exanthematicæ graſſentur, neceſſe eſt, exiſtere debere aliquem, qui primus contagii expers, contagioſum illud miasma intra corpus ſuum generet; Communis Auctorum, malignas epidemicasque febres tractantium opinio, eo redit, ut fermentum putredinoſum pro miasmatis contagioſi cauſa agnoſcant, obſervationibus frequentioribus fulciti, quod reſolutiones putridæ corporum animalium mortuorum, loci paludoſi humiles, aquis corruptis ſtagnantibus & inſectis putreſcentibus referti, cum exhalationes ejusmodi corruptas undique ſpargant, attrahi illas debere per reſpirationem, ſicque ſanguineæ maſſæ in pulmonibus admiſceri: Huc referendi quoque ſunt cibi, ex carnibus fere putridis male paratis & conditis, ut & potus ex aquis corruptis impuris modo deſcriptis, in militum caſtris non raro obviis. Putredinis quidem præſentiam, in corporibus ægrotorum, hoc morbo decumbentium, nemo negare poterit, qui ſæpius odorem putridum, quem excretiones cutis, renum & alvi ſpirant, perſentire coactus fuit. Verum ſi in cruore ſuborta ſola putredo contagioſum illud miasma conſtitueret, ſanatio malignarum febrium non adeo difficilis nec tam an-

ceps deprehenderetur, quoniam tunc varii generis acida ſufficerent ad corrigendam æque ac deſtruendam putredinoſam hanc materiam, verum experientiæ hoc aliquando repugnare videtur, tantum enim abeſt ut hoc ſemper ſuccedat, ut potius acida in vigore febris hujus adhibita, violentiora quandoque reddant præſentia pathemata, ut uſum illorum, quod mihi accidiſſe recordor, ſuſpendere cogamur. Latet ſane aliquid materiale in morbi hujus contagio, quod nullo ſenſuum, vel conſiderationis acumine determinandum; Occurrunt quippe, in ejus exploratione attentis, phænomena adeo diverſa, quæ prognoſim omnino dubiam & fallacem reddunt; nulla fere evacuatio, in morbi hujus decurſu critica deprehenditur, neque enim vomitus aut diarrhoeæ, nec ſudores vel narium hæmorrhagiæ maxime in morbi vigore ſolamen ægroto adferunt; De exanthematibus protruſis idem judicandum, nunc die 4to vel 5to aliquando poſt iſtum diem demum erumpunt, nunc ſub forma purpuræ rubræ, jam ſub veſicularum facie, mox macularum petechialium ſpecie adparent, eæque vel ſolitariæ vel cum purpura mixtæ, aliquando diſparent ſubito, redeunt nonnunquam eodem mutato colore; quacumque demum larva adpareant, ſolamen rariſſime adferunt, & ſymptomata plus augent quam mitigant; itaque ſymptomatica utplurimum eſt hæc eruptio, & irritatis potius a contagio integumentis morbique impetu, quam victricis naturæ ſpontaneo motu adſcribenda.

Abſcondita itaque remanet hucusque miasmaticæ materiei vera indoles. Monſtrant interim phænomena quædam, contagium hocce, agilitatis & tenuitatis ſubtiliſſimæ eſſe debere, cum ſtatim ſub morbi invaſione nervos fere omnes, eorumque fontes cerebrum

& cerebellum aggrediatur, id quod summa ad sensus & motum debilitas, virium prostratio, pulsus parvus & depressus licet frequens, animique abjectio & anxietas satis superque monstrant; indeque rationem aliquo modo reddere possumus, cur singulis hunc in modum debilitatis corporis ægroti functionibus, nulla fere crisis salutaris, in toto morbi decursu, expectari possit; simulque patet aliquo modo, quare in vehementiore hujus febris gradu, quem mors plerumque subsequitur, agrypnia, coma, delirium, subsultus tendinum &c. percipiuntur, quæ symptomata omnia cerebrum summe affectum indicant, & ex relatione illorum, imprimis *Foresti & Pringlii*, qui hoc morbo defunctorum cadavera dissecuerunt, adparuit, cerebrum hinc inde inflammatum vel pure suffusum fuisse, evidenti satis argumento, miasmatis acredinem, sub initium morbi, statim cerebrum & nervos invasisse, vitæque vires vel functiones vitales, ad excutiendum materiam hancce summe noxiam, in toto morbi decursu minime sufficientes exstitisse, sicque necessario lethalibus insecutis symptomatibus ansam præbuisse. Quo major itaque functionum vitalium debilitas sub initium morbi in ægro, hac febre detento, percipitur, eo minor sanitatem recuperandi spes affulget, præcipue cum violentiores nervorum stomachi & intestinorum stricturæ, mox vomitus vel diarrhoeas male olentes putridas inducunt: quando protrusa exanthemata, livida, punicea, vel nigricantia adparent, subito recedunt, mox sub alia forma propullulant, fauces, palatum, linguam aphthis numerosis obsident, vitam omnino periclitatur æger, præcipue cum signa simul adsint, miasma contagiosum in cerebro vel cerebello hærere ibique sedem fixisse, unde coma, delirium, ner-

vorum actio læsa, cordis debilior ſyſtole, fibrillarum muſcularium irritatio & violenta conſtrictio, tendinumque ſubſultus, originem trahunt; quod ſi vero ſudoris expulſio frigida, fæcum alvi & veſicæ involuntaria ſeceſſio, vel crebrior dyſenterica evacuatio, cum tenſiva abdominis & hypochondriorum inflatione, a decubitu contagii in inteſtinis orta, ſuccedunt, quæque gangrænam harum partium annuntiant, tunc mortis inſtantis ſigna præ oculis habemus.

Cura harum febrium malignarum ſummam Medici attentionem & induſtriam poſcit (ob rationes hactenus allatas) primum, quod Medico inquirenti incumbit, poſtquam ex ſignis morbum hunc præſentem agnovit, omnino eſt, ut exploret, utrum a contagio, (quod a febribus ejusmodi eo tempore graſſantibus colligitur, ſi tunc temporis malignæ febres epidemice graſſantur) vel a corrupta cruoris maſſa malignitatem iſtam, producendi apta, morbum hunc contraxit æger? etenim in conſtitutione epidemica plus periculi ægroto imminet, cum violentiora deprehendantur ſymptomata a contagio contracta, quam illa quæ ex vitioſa ſanguinis indole orta, febrem hanc malignam produxerunt, ideoque mitiora ſunt in illis qui ex ſanguinis vitioſa indole febrem hanc malignam ſibi compararunt. Poſtea ætas, temperamentum, vitæ regimen, conſuetum anni tempus, &c. conſideranda veniunt; ſi epidemice graſſatur morbus hic, contagii indoles, ejus augmentum & decrementum ex ſymptomatibus exploranda & dijudicanda erunt: Quibus bene exploratis ex præſentibus ſignis in ægroto detectis, indicationes curativæ colligendæ ſunt. Quod ſi Medicus ſtatim ſub morbi initium accerſitur, & ægrotum in ætatis flore conſtitutum deprehendit (corpore robuſto & ſatis plethorico) venæ ſectionem ne-

cessariam judicabit, quamvis pulsum debilem & parvum detigerit; ipse in hoc casu aliquoties expertus sum, quod post sectam venam pulsus statim amplior & fortior evaserit, detracto ex vasis cruoris copia, quæ cordis & arteriarum debitæ constrictioni impedimento fuit. Eadem sanguinis evacuatio necessaria judicanda, cum pectoris subita oppletio, cum respiratione accelerata & laboriosa, secedentem sanguinis stasim ad pulmones, vel peripneumoniam incipientem indicant, ubi valde proficuam sectionem venæ expertus sum. Interim probe notandum, quod nimia & repetita sanguinis detractio sæpe noxia sit, imprimis si capitis dolor molestus decubitum cruoris ad cerebrum indicat, tunc nimia sanguinis evacuatio, dum vitales functiones deprimit, brevi post deliria excitat & phrenitidem funestam causatur, remedia quævis adhibita eludentem.

Eadem cautione opus est in remediis evacuantibus adhibendis; cardialgicæ nimirum constrictiones, ructus nidorosi fœtidi, vomendique conatus, imo ipse quandoque bilis corruptæ vomitus, si primis statim diebus ægrotum excrutiare deprehenduntur, leni vomitorio ex Ipecacuanha vel Oxymel. scillit. corrupta hæcce materia omnino evacuanda est, qua rejecta, morbi sæpe progressus impeditur, vel graviora saltem symptomata præcaventur. Idem valet de humorum depravatorum turgescentium colluvie, cum bile corrupta in intestinis accumulata, quæ flatibus fœtidis, spasmodica abdominis tensione, colicisque doloribus & diarrhœa quandoque spumescente olida, indicatur, educenda statim est laxante debili ex Tamarindis, Manna, Cremore tartari & Rhabarbaro, evitando purgantia acria resinosa ex Scammon. Jalap. Colocinth. &c. & ubi aloë ingreditur: insuper spasmi quan-

doque clysmata demulcentia poſtulant, quæ nunquam nocent etiam in violentiori gradu febris ſi indicantur. Hæc de evacuantibus, in hac febre cum circumspectione adhibendis, monuiſſe ſufficit.

De alterantibus & immutantibus medicamentis, ad miasma harum febrium contagioſum in ſanguine destruendum, magna occurrit & deprehenditur apud practicos Autores diſcrepantia. Omnes fere, qui duobus ſeculis elapſis medendi methodum hujus morbi tradiderunt, ἀλεξιφάρμακα, hoc eſt remedia venenum arcentia ſive pellentia, commendant; miasma contagioſum veneni in modum agere perſuaſi, illud toxicum autem omni vi eliminandum eſſe judicabant, proinde theriacæ varias compoſitiones, quibus, autoritate veterum ſuffulciti cum omne venenum & venenoſum e corpore exturbandi virtutem tribuerent, ægrotis, febre maligna detentis, aſſidue intrudebant, ſpe freti venenoſum illud miasma inde ejectum iri. Quam fallacia autem ſint ejusmodi remedia, Theriacarum aut Mithridatiorum nominibus inſignita, experiuntur Medici practici qui vim requiſitam, ad venenum expellendum, in illis detegere nunquam potuerunt. Confectiones autem hæ, ex calefacientibus aromaticis maximam partem conflatæ, cum motum cruoris vehementer accelerant, febrem valde augere, & humores ad putridam diſſolutionem magis magisque diſponere debent. Quem effectum per experientiam multoties comprobatum agnoverunt tandem recentiores Medici, præcipue indefeſſus febrium inveſtigator Sydenhamus, primus, quod ſcio, methodum hanc expulſivam, per medicamenta calefacientia, deſeruit, & remedia magis placida, ad febriles motus arcendos, & ad corruptionis putredinoſæ progreſſum in ſanguine ſiſtendum, ægrotis febre hac ma-

ligna correptis, falubriori cum eventu exhibuit. Hanc viam ingreſſi, ſeculi præſentis celebriores Medici, methodum medendi, cauſis & ſymptomatibus morbi hujus atrocis magis convenientem propoſuerunt, quæ ſi obſervationibus, ab experientia ſæpius reiterata, deſumptis & collectis, ſucceſſive magis excolitur, ægrotorum, febribus ejusmodi malignis exanthematicis detentorum, poſtea maxima pars ſervatos fore confido.

Poſt evacuantia itaque, cum cautelis antea, indigitata, ſub morbi initium, a ſymptomatibus gravioribus vacuum, adminiſtranda, ſi febris nihilominus poſt 5, 6, vel 7 diem incrementum capit, ſicque de miasmatis contagioſi vehementia, humores in putridam diſſolutionem convertente, certiores reddimur. tunc omni ſtudio nitendum ut corruptioni ſanguinis ulteriori obicem ponamus, ne corrupti portio in viſcere quodam nobiliori, maxime ad caput delata, in cerebro ſtaſes inflammatorias efficiat, quæ periculoſa valde morbi mutatio, proſtratione virium ulteriori, pulſu debili, parvo, depreſſo, inordinato, ſomnolentia, cephalalgia, delirio per intervalla, exanthematibus, ſi quæ adſunt, ſubito disparentibus &c. indicatur. Hisce viſis, virium proſtratio quidem pulſusque debilis & parvus, ut & exanthematum retroceſſio, medicamenta excitantia calida & motum cientia, quæ ſub claſſe alexipharmacorum comprehenduntur, omnino poſtulare videntur, ſed hisce adhibitis, teſte experientia, febris ſtatim augetur, inflammatoria ſtaſis magis figitur, ſymptomata, imprimis delirium & cephalalgia, augentur, ac ſubſultus tendinum quandoque inſequitur, ſicque morbus ſæpe inſanabilis ſubito redditur. Alia adhuc, non minus periculoſa, in eodem morbi ſtadio aliquando ingruunt ſymptomata, quando

nimirum ab aucta humorum, imprimis corruptæ bilis, putridæ dissolutæ copia, in tractu intestinorum hærente & accumulata, corrosiones inflammatoriæ, fœtidæ diarrhœæ & dyssenteriæ summe periculosæ producuntur.

Periculosissima cum hæc sint febris malignæ symptomata, ab una eademque causa, putredinosa nimirum cruoris resolutione orta, omni studio allaborandum, ut corruptionis hujus putridæ progressus impediatur; quare æger statim, cum lectum tenere cogitur, in cubiculo collocandus est, quod aeris renovationem, foci luculentis ope sub camino permittit, ne nocivæ exhalationes per respirationem denuo attractæ morbi fomitem adaugeant; cum augmentum putredinis in cruore sistendi, & præsentem jam corruptionem destruendi primaria Medici intentio esse debeat, alimenta, nimirum juscula acidis probe condienda, potus sit aqua cum pane, hordeo vel oriza infusa, cum Citri vel limonium succo, aut 3ia vel 4ta. parte vini permixta; remediorum quoque adhibendorum basis acida sunto, quæ vel ex vegetabili regno, aut ex minerali petenda sunt; quibus cum successu, teste experientia associatur magna putredinem resistendi vi prædita camphora, quæ simul egregie dissolvit & impedit stasim istam inflammatoriam quam corrupti cruori decubitus formare solet, imprimis si salinis & acidis liquoribus propinandis adjuvatur; quales sunt solutiones salium neutrorum quæ ex alcalibus fixis aut volatilibus per saturationem cum vini aceto aut limonum succo emergunt, e. gr. Absinthii Sal in Aqua solutum & cum acidis modo dictis, ad effervescentiæ cessantis punctum, impregnatur, aquis distillatis roborantibus cardiacis, Cinamomi, corticum recent. Citri, Cerasor- nigrorum &c. permiscendum. Sic &

Ol tartari p. deliquium, cum solutione Cremoris tartari affusa ad saturationis terminum perducta, cum aquis distillatis admixtis, liquorem huic scopo convenientem constituit. Simili modo liquor huc conveniens ex alcali volatili, nempe Ammoniaco sale volatili cum Aceto destillato admixto, donec effervescentia cessat paratur, sub Spiritu Mindereri nomine notus, quem magnus Bœrhaavius jam, & nuper clarissimus Pringle in febribus ejusmodi exanthematicis valde extollunt. Mixturis hisce salinis dissolventibus aperitivis, ulterior corruptionis humorum progressus impeditur, & corrupti, exaltati ac summe attenuati cruoris serosi portio ad blandam per cutem exhalationem disponitur, imprimis si ejusmodi remedia moderato camphoræ usu adjuvantur, quo scopo mixtura simplex camphorata bis in die interpolanda, vel ejus loco pulvis ex Succini albi Semi scrup. Nitri depur. gr. vj. & Camphoræ gr. iv. adhibendus: aliquando hæcce pulveris hujus compositio mihi proficua fuit: recipe Rad. Contrayerv. gr. xvj. nitri purif. gr. viij. Camph. gr. iij. vel. iv. M. bis l. 3 de die sumendus. Sudorem si medicamentis calidis alexipharmacis vi expellere intendimus, æstum febrilem augemus, unde funesta antea recensita symptomata excitantur, & sæpe observavi quod hac methodo, quarto jam vel quinto die, exanthemata purpurata vel petechiæ pessimæ indolis propulsæ, febrem sæpe insanabilem effecere, nullo inde sudore critico insequente, quo exanthemata dissipari potuissent. Quamdiu enim febris hæc maligna in vigore adhuc est, sudorem levantem, salutarem nondum deprehendi, post 15 autem vel 17 diem vero; cum symptomata mitiora adparent, pulsus magis elevatus & mollis sentitur, sudoris moderata eruptio, naturæ non artis beneficio producta, solamen affert.

Quod ſi nihilominus, a contagii indole, vitæ vires adeo debilitantur & pulſus magis depreſſus ſtuporem, cephalalgiam, mentis alienationem annunciat, imprimis ſi petechiæ ſimul circa pectus abdomen & artus egrediuntur, lingua arida nigricans adparet, vel aphthis obducta, tunc omni ſtudio allaborandum ne corrupta materies in cerebro ſedem figat & phrenitidem producat, quamvis hisce morbi ſtatus utplurimum effectus ſit incongruæ adminiſtratæ vel etiam reiteratæ venæ ſectionis, aut ex nimio uſu remediorum calefacientium in morbi initio adhibitorum proveniat; Quomodocumque virium hæcce inanitio originem trahat, id agendum indicatur, ut vires vitæ extinctas fere aliquantulum excitemus, augendo ſcilicet cruoris motum, torpidasque cordis & vaſorum fibrillas ſtimulando. Medicamenta huic ſcopo inſervientia probe ſeligenda ſunt, ne præcipiti impetu per calidiora alexipharmaca decubitum contagioſæ materiei in cerebro hærentem, urgendo nimium, in ſtaſim inflammatoriam traducemus, & inflammationem periculoſiſſimam ſive phrenitidem operemur: exultet itaque Nitrum ex pulvere camphorato antea tradito, ſupplendo ejus locum per contrayervæ radicem. Cum autem auxilium præcipue a camphora in hoc caſu ſit expectandum, ſequentem potionem optimo cum ſucceſſu aliquando exhibui: recipe Camphoræ drag. j. quam irrorando cum vini ſpiritu rectificato, terendo in mortario in pulticulam converte, quo facto, ſachari albi optimi ſemi-unci. ſucceſſive admiſcetur, donec trituratione continuata, camphora ſoluta & ſacharo unita ſit; Aquæ ferventis tunc unci viij pedetentim affunduntur ad plenariam ſachari cum camphora ſolutionem, qua frigefacta admiſcentur aceti vini optimi unci iv, Aquarum diapnoicarum totidem cum Cinamomi aquæ vinoſæ vel

ſimpl. unci j, quæ potio adhuc, ſi deſideratur, cum Syrupi acetoſitatis Citri unci j. edulcoranda. Remedium hoc antiſepticum & analepticum minime exæſtuans, ſi ad cochlearia aliquot, aliquoties de die adſumitur, indicationi præcedenti ſatisfaciendo; ulteriori quoque ſanguinis corruptioni reſiſtet; imo ſi ſigna phrenitidis præſentis, per delirium, tendinum ſubſultus, oculos torvos &c. manifeſtantur, remedium hocce ſalvum reddet ægrotum, ſi ſalutis ſpes ullo modo adhuc expectanda erit: ſed tunc ſimul veſicatoria in dorſo, & epispaſtica in plantis pedum, ad humores a capite avertendos adplicanda, ſimulque bis de die Mixtura ad guttas 40. ex partibus æqualibus Liq. anodini mineralis & C. C. ſuccinati conflata, propinanda; ſymptomatum dictorum imminutio cum pulſu paulo elevatiori conspicuo & transpirationis placidæ veſtigiis, ſpem ſuppeditare videntur ægrotum a morbo hocce funeſto relevatum iri. Non minus grave ſymptomata occurrit quandoque in hocce morbi ſtadio, cum nimirum tenſiones cum inflatione imi ventris & hypochondriorum, dolores acuti, tormina, diarhœa & dyſenteria ſpumescens fœtida, inteſtinorum inflammationem indicant; funeſta plerumque deprehenduntur hæcce pathemata in ægrotis ubi vires ob morbi durationem exhauſtæ ſunt. Præcaventur aliquo modo periculoſiora ejusmodi ſymptomata, ſi ſtatim ſub febris ingreſſum, tractus inteſtinorum, a ſaburra fæcum a miasmatis contagio & bile putrida infectorum, blande purgetur, & in morbi decurſu ulteriori, nova, corruptæ hujus materiæ collectio, clysmatibus hinc inde eluatur. Levior quidem diarhœa in febris declinatione non ſtatim pertimescenda, imprimis ſi vires non plane deficiunt: ſalutarem illam vidi & aliquomodo criticam, imprimis ſi cutis aliqualem exhalationem ſimul mani-

feſtabat. In nimia interim & dyſenterica evacuatione, viribus proſtratis, poſt lene evacuans ex Rheo exhibitum, corroborante anodyno aliquid adhuc tentare poſſumus, quo ſcopo pulvis Corticis Cascarill. ad grana xij. cum Croci Martis antimoniati granis ij. & Maſſæ Pilul. de Cynogl. gr. j. exhibendus, & reiterandus ſi evacuatio aliquomodo ſiſtitur. Quod ſi autem fæces, inſcio ægroto, maxime purulentæ, odorem cadaveroſum ſpirantes, egrediuntur, ſphaceloſam inteſtinorum diſſolutionem declarant & mortis inſtantis indicium ſunt. Funeſtas hæcce & cerebri & Inteſtinorum corruptiones gangrænoſas circa finem ſeptimanæ tertiæ vel initio quartæ accidiſſe vidi.

Præterea ægros qui per innumeras hujus febris malignæ viciſſitudines denique eluctantur, imminutis paulatim ſymptomatibus recenſitis, & pulſo aliquo modo reſuscitato, cutis perspirationem aliqualem exhibuiſſe, deprehendi, indicio haud obscuro, naturam fruſtra quidem maligni miasmatis expulſionem per exanthemata cutis, aſt nimis cito tentaſſe, nihilominus tamen per excretionem cutis ſcopum tandem obtinuiſſe, licet in iis ſolummodo ægris, quorum vis vitæ tot ſymptomatibus funeſtis ſuperandis par eſſet: indicatur futura hæc indicatio critica, quando exanthemata, ſi quæ adſunt, ex colore livido nigricante, in vividum rubentem abeunt. Interim non omnis ſudor in hac febre ſalutaris deprehenditur, quoniam ille, qui primis diebus, & in morbi maximo vigore prorumpit, peſſimi ſemper indicii eſt, nec non ille, qui circa collum & pectus ſolummodo exprimitur, graviorum ſymptomatum prodromus, verum ille qui in febris declinatione moderatus per totum corpus, pulſu molli & æquali deprehenſo, udo halitu quaſi per cutim cum levamine tranſpirat, facile diſtinguendus hic ab illo

madore

madore frigido, qui post gravissima symptomata, pulsu undulante & naturali calore destituto, in vitæ termino sentitur. Hisce consideratis, notari meretur, licet salutaris hæcce (per cutim) in malignis febribus evacuatio critica, non artis sed naturæ providæ opus reputandum sit; teste experientia tamen, naturæ languidæ motus, in febris declinatione suffulcire aliquo modo convenit per remedia analeptica, corroborantia, tonica, quæ istam per cutim διαπνοήν facilitare solent: proficuum valde in hoc casu remedium sequens expertus sum: recipe Cort. Peruv. opt. unci j. Cort. Cascarill. psat. & Rad. Serpent. Virg. ana semi-unci. Croc. semi-drag. M. F. Infusio fortis per horas 4. vel 6, in Vino alb. Gallico unci. xvj. Colaturæ add. aqu. Cinamom. unci ij. Syrup. acetol. Citr. semi-unci. M. D. ad Cochlear j. ter vel quater de die, quo remedio vitæ vires languescentes excitantur, & febris malignæ superstites quisquiliæ penitus per halituosam transpirationem eliminantur.

Ex hactenus exploratis morbi hujus gravissimi caussis, effectibus & remediis, facile colligitur, nullam fere intercedere differentiam inter febrem catarrhalem malignam, morbum petechialem, hungaricum, & febrem castrensem, ut nonnulli autumant; idem morbus est sed graviora sunt symptomata in militibus hac febre correptis; dispositio, ad morbum hunc contrahendum, apud eos jam in sanguine latet, alimenta quibus ordinario nutriuntur, sunt ex defectu sanorum, ut plurimum noxia, corrupta, pessime præparata, unde putredinis fomes in sanguinis massa facile generatur, & augetur, lympha, serum, bilis, ad acrimoniam alcalescentem acquirendam putridam præcipitantur; compacti cruoris globuli ab acredine ista corrumpente incipientem dissolutionem patiuntur, secretiones naturales, sanitatis præsidium, depravantur, motus omnis

in corpore, qui ab iſtis ſecretionibus pendet, labefactatur, ſicque debilitatis ſingulis corporis functionibus cauſa occaſionalis ad malignas hasce febres contrahendas præſto eſt; nihilque obſtat, quo minus ex hacce humorum corruptione, cauſa morbi proxima, contagioſam ſcilicet miasma intra corpus gigni, vel ab extra communicatum recipi & foveri poſſit. Simulque ratio patet, cur ob morboſam hanc corporis diſpoſitionem febris maligna gravior & periculoſior ſemper eſt dum in militum caſtra irrepſit, ubi ſub dio & tentoriolo, in lecto ſtramineo detento male cooperto ægro, peſſime ſuccedit febris etiam levioris ſanatio; Nec melius conſulitur ægrotis hujuſmodi malignis contagioſisque febribus correptis, quando in ruſticorum caſis dehiſcentibus, tot ægroti intruduntur, quot cubiculum minus ſpatioſum, aeris injuriis patens, vix capere poteſt. Proinde magna illa effluviorum corruptorum copia, ex ægrotantium corporibus continue exhalans, ab aere ambiente excepta, mixta, exaltata, & ſine dubio magis corroſiva reddita, circulo perpetuo per inſpiratum aerem, in corpora magis magisque labefactata redeunt, ſanguinis corruptionem putridam contagioſam adaugent, miasma infectivum magis activum reddunt & morbum jam peſſimum inſanabilem efficiunt, remediorum etiam optimorum efficaciam eludentem. Similis truculenta ſtrages accidit, cum miasma hujus febris contagioſum, in pauperum tabernas irruit, qui plerumque neceſſariis, quoad amictum, victum & alimenta deſtituti ſubſidiis, contagium illud pernicioſum ſumopere auctum late diffundunt, integrisque familiis ſæpe interitum parant. Ad ſiſtendum autem atrox hocce malum ante omnia hoc efficere nobis incumbit, ut ſeparatis ejusmodi ægrotis & ſingulis, vel paucis ad minimum, in ſeparatis cu-

biculis detentis, omnem cum reliquis communionem præſcindamus, aerem ſemper in ægrorum cubiculo renovando & de remediis & alimentis neceſſaria ſuppeditando, quo fit ut ulteriori infectioni frenum injicere, & infectos plerumque ſanati reſtituere poſſimus.

Præterea non poſſum quin mentionem faciam de ſumma febris hujus malignæ atrocitate, qua anno 1726 devaſtabatur fere ſpatioſiſſimum illud Orphanotropium, quod Rex Fridericus Wilhelmus, pro alendis & educandis militum infantibus, magnis ſumptibus Potsdami exſtruere curavit. Verſus autumnum illius anni æſtate valde pluvioſa præcedente, & auſtro ſæpius flante, febris hæcce ſatis quidem moderata ſub initium obſervabatur, quare ii, parum de ea ſolliciti, quibus cura & conſervatio hujus futuri exercitus ſeminarii demandata fuerat; ſed brevi adeo increbuit hujus morbi vehementia, ut centum & ultra, ſingulis fere ſeptimanis, ex duobus millibus infantum, quos hoſpitium hocce militare continebat, perierint; omne ſtatim commercium, hujus domus, cum aula & civitate interdictum ſtrenue fuit. Juſſu Regis accerſebar, ut ad morbum hunc funeſtiſſimum arcendum omne ſtudium & operam impendere deberem; Ardua res erat & periculi plena, interim Regis mandatum obedientiam, & officii mei ratio in ægrotos auxilium poſtulabat. Sed ut munus mihi demandatum debite implerem, neceſſe erat, ut ſtatim diri hujus morbi phænomena explorarem; & cum triduo ante adventum meum, præter infantes, Chirurgus cum ſuis in officio ſociis, Sacerdos, & tres vel quatuor præceptores ſubito mortui eſſent, duos ex his, qui nocte præcedente extincti fuerant, diſſecare conſultum duxi, eorum tota corporis ſuperficies exanthematibus albi-

cantibus in veſiculas lentium magnitudine adſurgentibus, & petechiis atro-purpureis hinc inde interſperſis, undique obſeſſa erat: aperto abdomine oſtupui, cum externam omnium viſcerum faciem, hepatis, nimirum ventriculi, inteſtinorum, meſenterii, &c. ſimillimis plane exanthematibus obductam conſpicerem, adparentibus hinc inde maculis gangrænoſis, integrisque portionibus in hisce partibus ſumme inflammatis & ſphacelo jam diſſolutis: idem in thorace adſpectus viſui ſe obtulit, præcipue pulmonum inflammatio ad gradum gangrænæ perducta. Thoracem nondum aperueram, quando advertebam quod Chirurgus (ex numero chirurgiæ alumnorum, qui ad munus Chirurgi legionaris in exercitu deſtinati ſunt) metu perculſus, quod faciei pallor & manuum tremor indicabat, animum quaſi linquere videbatur; ſtatim eum exire & aerem puriorem in platea haurire juſſi, ſed eum poſtea non amplius vidi, in diverſorium ſuum rediens, eadem febre contagioſa correptus, quinto vel ſexto die poſt, obiit. Alium prioris ſocium, quem accerſere curabam, ut in tanto ægrotantium proſpicendorum numero me ſublevaret, eadem fata ſubientem dolui, per duas ſeptimanas quidem ægrotis adſtitit, ſed eodem morbo detentus, ſub finem ſeptimanæ tertiæ exſpiravit. Inferenda hæc erant ad monſtrandam miasmatis contagioſi vehementiam, quæ major in peſte vix reperitur.

Cum ſtatim omnes hoc morbo detentos examinarem, & in reliquorum jam defunctorum phænomena inquirerem, ſatis ſuperque cognovi, dira illa funeſtaque ſymptomata antea recenſita apparere & in jam defunctis apparuiſſe, quæ ſane minimam ſanitatis recuperandæ ſpem relinquunt: In nonnullis papulas febris purpuratæ lividas, in aliis milii ſeminis tubercula

æmula, quæ in nonnullis majora & in veſiculas elevata, maculisque gangrænoſis interſperſa, conſpiciebam; nonnulli nigricantes petechias in collo & pectore monſtrabant, multique erant, in quibus nullum exanthematicæ eruptionis veſtigium adparebat, nihilominus pathemata eorum æque pericuioſa erant ac præcedentium. Relatum mihi fuit, plurimos ægrotantium jam die quinto, ſexto, ſeptimo vel nono fuiſſe extinctos, poſtquam deliria, motus convulſivi, alvi tormina, diarrhœæ aut dyſenteriæ cadaveroſi odoris præceſſere; alios ex aphthis cum gulæ anginoſa inflammatione præcedente, ſuffocatos fuiſſe &c. Plurimos adhuc, iisdem ſymptomatibus afflictos reperi. Sed cum tot ægrotos eodem cubiculo occluſos detegerem, eos ilico ſeparare, & in alia, quorum multa vacua adhuc in ſpatioſo iſto ædificio erant, transportare curavi, aerem puriorem, fruſtulo vitri ex feneſtris exemto, introduxi, & ut eo melius nubecula contagioſa, ex ægrotantium effluviis collecta, ex conclavi expelleretur, focum in caminis incendere curavi, quorum parva, more in terris hiſce recepto, juxta fornaces diſpoſita ſunt, quæ aeris impuri columnam, ventilatoris in modum, perpetuo elevando diſſipant, ut aer ad inſpirandum purior reddatur. Alimenta præterea, ex œconumorum avaritia hactenus vitioſa & corrupta, exhibita, magis ſalubria & morbo huic accommodata præcripſi, non omiſſo potu acidiusculo, analeptico, corruptionem humorum & virium debilitatem corrigente. Remedia denique cujuscumque morbi ſtatu convenientia, ſecundum methodum antea deſcriptam ſedulo adſumenda curavi, ſicque maximum longe ægrotantium numerum pro deperditis habitum, ſanitati iterum reſtitui.

Hoc autem ſumme neceſſarium fore judicavi, ſanos adhuc, ab ægrotis ſeparari & extra urbem in alium locum ſalubriorem transferri, (ad plenariam hujus contagii extinctionem) quare litteris ad Regem datis, hanc domicilii commutationem ſumme neceſſariam expoſui, qui cum de ſubditorum ſalute nunquam non ſollicitus eſſet, annuit propoſitioni meæ, ſtatimque mandatum decrevit, ut infantes reliqui omnes a morbo nondum correpti, vel ab illo iterum reſtituti, cum illorum miniſtris & domeſticis neceſſariis, Lehninum transportarentur, ubi ſpacioſiſſima ædificia, monachis olim inſervientia, innocentiſſimis hisce fugitivis aſylum & habitationem commodam præbebant, contagiique transportati metus mox evanuit, cum nemo ibi febre iſta maligna amplius corriperetur, certiorque redditus inde fui, quod perfecta ſanorum ab ægrotis ſeparatio, peſtis, ac morborum omnium contagioſorum magis ſecurum ſit remedium; Tota autem hieme incolumes commorati hic loci infantes, æſtate adpropinquante Potsdamum reverſi, priſtinas ædes, ab omni immunditie optime repurgatas, iterum occuparunt, ſervato poſtmodum accuratiori, quoad victum, amictum, corporisque exercitium, ordine ac diſpoſitione, nullam morbi cujusdam epidemici devaſtationem ab illo tempore amplius in hunc usque diem perpeſſi ſunt.

De Variolis & Morbillis.

VAriolæ & Morbilli, cum ratione originis, indolis medendique methodi magnā affinitatem habeant, & ambo per parvas in cute exortas efflorеſcentias ſe manifeſtent, febribus exanthematicis ſæpius malignis, annumerandos morbos eſſe, nemo in dubium vocabit; Apud Medicos græcos & veteres latinos, illorum nulla

fit mentio. Arabes Medici primi fuerunt qui seculo circiter nono descriptionem Variolarum & Morbillorum nobis reliquerunt, & ea imprimis quæ Rhasis de morbis hisce consignavit, valde perspicua & maximi momenti sunt, neque illa variolarum Avicennæ expositio negligenda est. Medici postea Europæi, certatim, pro suo quisque modulo & temporis quo vixit, genio, in phænomenis horum morborum, explicandis medendique methodo tradenda desudarunt, alii præstantiores aliis, pauci tamen immunes a præjudicio tunc temporis prævalente, quod miasma, contagium vel virus variolosum expellendum sit, cogendo naturam ad hunc scopum per remedia maxime calida alexipharmaca, & stragulorum calore; plus vero damni quam emolumenti eos hacce methodo ægrotis attulisse eventus undique docuit & comprobavit.

Omnibus insuper notum est, hunc morbum communicari per contagium, cujus commune vehiculum aer videtur esse, variolosum miasma per respirationem cruori admiscens, quamvis per lintea & vestimenta quoque variolosum pus sæpius communicetur. Hoc, autem peculiare omnino est, quod una eademque variolosi contagii materies, in eodem loco, & in iisdem ædibus, homines omnes quos simul vel successive infestat, in illis diversos satis variolarum species, quoad formā externam vel respectu symptomatum producat; Etenim nonnulli quos morbus hic aggreditur, levissimam saltem & vix sensibilem commotionem febrilem percipiunt, quando pustulæ erumpunt, nec ullum porro in morbi progressu incommodum sentiunt ægroti, quibus hæ variolæ melioris notæ, superveniunt. In aliis contra, idem contagium symptomatibus molestissimis & summe periculosis se prodit, pulsus statim plenus, frequens & durus percipitur, calor urens, sitis inextin-

guibilis, lingua arida, urina intenſe rubra & reſpiratio valde laborioſa deprehenditur, de capitis, dorſi & lumborum dolore conqueruntur ægroti, veibo ut complectar, omnia febris inflammatoriæ ſigna adparent, quæ mox peripneumoniam & anginam, mox phrenitidem adpropinquantem annunciant; quare etiam ſanguis, in hocce morbi ſtadio, e vena detractus, cruſtam inflammatoriam valde denſam exhibet; Variolæ poſtea protruſæ confluunt plerumque, & non ſine magno vitæ diſcrimine illarum ſanatio inter ſpem & metum expectatur.

Iterum in aliis ſummam offendimus virium proſtrationem, anxietatem tremulam cum pulſu celeri, depreſſo & inordinato, ſenſibusque externis pariter ac internis valde debilitatis, imo omnia fere ſigna hic apparent, quæ febrem catarrhalem malignam antea expoſitam declarant; quare ſumma malignitate ſtipatæ, emergentes poſtmodum variolæ, papulas lividas nigricantes aut ſanguinolentas gangrænoſas offerunt, & hæmorrhagiæ, peſſimam hanc variolarum ſpeciem concomitantes, ſanguinem alcalinum acrem, penitus diſſolutum produnt, cujus correctionem, breve illud ſtadium, quo ſcena hæc tragica luditur, non facile permittit.

Nonnullos denique vidi, hoc morbo correptos, in quibus virium proſtratio, pulſus parvus, depreſſus, frequens, & undoſus quandoque, febrem lentam mentiens, deprehendebatur, calor admodum tolerabilis erat & nulla fere ſitis, neque ſymptomata alia graviora adparebant: eruptionis autem macularum negotium ultra terminum conſuetum protrahebatur, ut etiam morbum varioloſum ſubeſſe dubitarem, corporis interim animique viribus abjectis manentibus, tandem die ſeptimo, in aliis octavo die ſtigmata conſpicieban-

tur, quæ diebus ſubſequentibus lento gradu in papulas convertebantur pallidas atque depreſſas, & loco puris cocti, ſaniem denique offerebant corrodentem; in veſiculas nonnunquam adſurgentes papulæ iſtæ, unitæ inter ſe & confluentes hinc inde, vel diſtinctæ remanentes, pallidum colorem in lividum & nigricantem denique permutantes, in cruſtam tenacem, atram ſphaceloſam converſæ, ſubſidebant, quod mortis inſtantis certiſſimum erat indicium.

Effectus hi, unius ejusdemque varioloſi contagii adeo diverſi, abunde ſatis declarant, phænomenorum diverſitatem, in variolis productis, quærendam eſſe partim in corporum ægrotantium diverſa, quoad ſolidas fluidasque partes conſtitutione, partim in ætate, vitæ conſuetæ regimine, aerisque temperatura. Quapropter in robuſtis, plethoricis, optime valentibus corporibus, qui cruore denſo, coacto, valde mobili gaudent, fibrisque ſimul fortioribus elaſticis ſtipati ſunt, varioloſum hocce miasma conceptum, pronum ſatis exiſtit ad producenda, eruptionis tempore, febris inflammatoriæ ſymptomata, prægreſſis præcipue circa tempus illud in regimine vitæ erroribus. Corpora autem, alimentis crudis, ad digeſtionem ineptis vel aliquo modo corruptis nutrita, in locis paludoſis viventia, aquam impuram & aerem nebuloſum haurientia, acrimoniam in cruore muriaticam vel ſcorbuticam contracta, miasma varioloſum intus ſusceptum, cum ſummam, ad febrem malignam exanthematicam in corporibus ejusmodi diſpoſitionem, invenit, ſub hujus febris ſchemate peſſimo, papulas iſtas lividas nigricantes aut ſanguinolentas &c. protrudit, interſperſis quandoque petechiis.

Corpora denique laxa, pituitoſa, fibris debilioribus conflata, ad lentas febres alendas diſpoſita, vario-

loſo contagio infecta, cum pulſus parvus debilis, licet ab irritatione contagii frequens, minus capax ſit viscidam pituitam in pus varioloſum convertendi, ideo in ejusmodi ægrotis, puſtularum eruptio, a febre lenta parum excitata, variolas nimis tarde ad juſtam conſiſtentiam, nunquam vero ad maturitatem debitam producit, papulæ ſolummodo depreſſæ, ſanie corrodente repletæ, adparere, vel veſiculæ quandoque ichore ſimili diſtentæ adſurgere ſolent, quæ in crustas atras gangrænoſas, antea indigitatas exſiccantur. Melioris notæ itaque ſunt iſtæ variolæ, quæ nulla febre ſymptomatica ſtipatæ, febrili motu debiliori idiopathico formatæ, juſto tempore erumpunt, intra puſtulas elevatas pus bene coctum, quatuor vel quinque dierum ſpatio exhibent, quod totidem diebus ex papularum involucro rupto effluit, vel exſiccatum cum iſtis decidit.

Variolarum apud Autores diſtinctio in discretas & confluentes omnibus cognita eſt, has malignas dicunt, illas vero inter benignas referunt; ſed utrasque benignas ſæpe reperi, cum alio tempore, imprimis quando epidemice graſſarentur, & discretas & confluentes malignas valde inveni: quam malignitatem hic Berolini, poſt 5 vel 6 annos elapſos, plerumque revertentem obſervavi. Initium autem hujus morbi, ejusque progreſſus ordinarius, hic fere eſt: Appropinquante vere, cum perſpiratio in hyeme debilitata, majorem in cruore humorum copiam accumulavit, miasma varioloſum, diſpoſitionem forſan, ad morbum hunc introducendum magis idoneam inveniens, frequentius obſervatur, quod æſtate ſubſequente, maxime ſi epidemice invadit, progreditur, & vigore diſſipato minuitur utplurimum, adeo ut in autumno penitus diſpareat, aliquando ad hye-

men usque protrahitur : magis funestus semper quando incipit epidemice grassari morbus, quam circa anni finem observatur.

In variolis discretis, benignis, juvenile imprimis corpus occupantibus, febre circa eruptionem vix conspicua, spectatorem & observatorem solummodo agere convenit, (nullis vel paucissimis remediis adhibitis) vitæ regimen solummodo constituendo solliciti esse debemus, cum naturæ motibus placidis restitutionis negotium relinquendum potius esse arbitror, quam motus ejusmodi salutares vel intendendo aut supprimendo, turbare. Interea accidit quandoque quod & in benigniore hocce variolarum morbo, præsertim cum ex nimia indulgentia error in vitæ regimine, vel diæta præcesserit, diarrhœa copiosa, pustularum vel eruptionem vel maturationem impediat, aut ex motu cruoris languido illarum expulsio supprimatur; tunc in utroque casu artis auxilio opus est, quod in priori symptomate levi paregorico, in hocce autem, blando analeptico diaphoretico perficitur.

Sunt & confluentes sæpe, quæ febre satis temperata, nec gravioribus stipatæ symptomatibus, justo tempore erumpunt, suppurationem cum placida maturatione absolvunt, exsiccantur & decidunt, sicque nullam fere artis auxilium postulant; Infantibus cæteroquin sanis, robustis & succulentis, hæcce variolarum confluentium species sæpe accidit; præcipue cum ex suspicione contagii variolosi in vicinia grassantis, cautum fuerit, corpora ejusmodi juvenilia a sordibus primarum viarum liberare, illaque diætæ huic morbo convenienti in antecessum adstringere.

Ex observationibus autem repetitis innotuit, symptomata illa graviora, morbi hujus malignitatem constituentia, a constitutione & temperamento patientis

partim, partim a vitæ regimine male obſervato, vel medela perverſa adhibita potiſſimum originem ducere. Sic alia longe adparent phænomena in corpore repleto, ſpongioſo, plethorico, alia iterum in ſicco, gracili, fibris tenſis & compacto ſanguine prædito, alia a prioribus longe diverſa autem, in corporibus flaccidis, tumescentibus, debilibus, ſanguine pituitoſo aut cacochymico repletis occurrunt, quæ omnia contagii, vel eruptionis aut maturationis tempore valde diſſimiles, ſed nunquam non periculoſos effectus producunt, a quibus autem, ſub initium & tempore contagii, pendere ſolent diverſi iſti febris gradus, dolores, ſpasmi, inſomnia, deliria quandoque, ut & cita nimis vel tardior ſtigmatum eruptio; eruptionis autem tempore, oculorum, faucium, pectoris ſæpe inflammatoriæ ſtaſes, inſequente inſigni vel nimia capitis & artuum inflatione; ſæpe autem ejusmodi tumoris vel nullum veſtigium, vel ſubita nimis ſi adeſt, ſubſidentia, obſervatur; porro frequentium puſtularum cita vel nimis tarda ſuppuratio in debilioribus, aut loco puris, papularum ichore, vel cruore diſſoluto repletio; exſurgunt quandoque in corporibus cacochymicis puſtulæ illæ verucoſæ dictæ, nullo humore conſpicuo ſed coadunatis lamellulis quaſi turgidæ, aut veſiculæ elevantur transparente lympha acri impraegnatæ, &c. quæ omnes a variolarum ſtructura conſuetæ aberrationes, pejoris utplurimum eventus, ſunt, omnes tamen a cruoris vel viscerum mala conſtitutione exortæ.

Quapropter Medico accerſito, quam primum morbi varioloſi ſuspicio adeſt, ante omnia incumbit, ut corporis ægrotantis habitum probe examinet. Nam ſi in ægroto plethorico, robuſto, in juvenili vel virili ætate conſtituto, pulſus plenus, celer, durus, respiratio cita,

laborioſa, facies rubra valde & tumescens, oculi turgescentes rubicundi, cephalalgia, calor ad tactum ardens &c. deprehenditur, tunc febris inflammatoria varioloſo contagio juncta, graviora ſymptomata portendit; quare ad peripneumoniam, anginam aut phrenitidem avertendam, ſtatim vena erit ſecanda & alvus leni laxante ex Manna, Rhabarbaro &c. vel etiam clysmate emolliente, ducenda; poſt quam arteriarum, a cruore ſuperfluo, nimia diſtenſio, & vaſorum lateralium in cute compreſſio, per ſanguinis imminutionem ſublata fuerit, variolarum eruptio, experientia teſte, magis promovetur quam reprimitur, & violentior puſtularum inflammatio præcavetur, & memini, me coactum fuiſſe, ſanguinis detractionem repetere cum cruorem, prima vice eductum & cruſta denſa inflammatoria tectum conſpiscerem, febrisque æſtum minime imminutum reperirem. Ducenda propterea alvus, ut ingens vaſorum meſeraïcorum numerus, ab excrementorum diſtenſione liberatus, majorem cruoris copiam, pectoris capitisque vaſa nimium expandentem, admittere, & materiei varioloſæ in facie decubitum nimium, avertere poſſit. Infantilis ætas autem, cum cutis tunc temporis valde laxa, mollis & ad exhalationem valde pervia ſit, cruoris ejusmodi evacuationem non adeo neceſſariam habet, ſed alvi laxatio primis ante variolarum eruptionem diebus, omnino confert. Hisce probe obſervatis, & ante & circa eruptionis tempus adhibitis reſolventibus & putredini reſiſtentibus remediis, ex Nitro, Tartaro vitriolato, & abſorbente marino cum Citri acito ſaturato, ac pauxillo Cinabari remixto, potuque copioſo ſubacido, adminiſtrato, variolarum confluentium malignitatem ſuspicatam, adeo compeſcui ſæpius, ut in ſanitate redintegranda operæ prætium feciſſe mihi gratularer; De aeris mutatione & frigidius-

culi admiſſione frequentiori ſollicitus maxime in ſuppurationis decurſu fui, ſicque impedivi, ne exhalans per cutem putridus vapor per inſpirationem ſanguinis maſſæ denuo admisceretur.

Poſt variolarum eruptiones valde copioſas, ex morbi indole neceſſario provenit plenaria illa transpirationis & ſudoris ſuppreſſio (a puſtulis ulceratis, totam corporis ſuperficiem obtegentibus producta); hæcce liquidi perspirabilis intra corpus retardatio, cum in ſtatu ſano, tertia circiter pars fluidorum omnium asſumptorum per cutem difflatur, congeſtiones notabiles in iisdem locis, huic ſecretioni deſtinatis cauſari debet, unde difformis illa capitis, palpebrarum oculos occludentium, totiusque faciei tumida inflatio, ægrotum ſuppurationis tempore vix agnoscendum, producitur; collecta ingens hæcce humorum copia, ſalivales in vicinia glandulas, fauces, totamque gulæ ſuperficiem aggreditur, & laxatis in vasculis fibrarum vinculis, ingentem ſalivæ copiam omni momento ejicit. Tumor priori non abſimilis, poſtea ſucceſſive artus, imprimis manus cum pedibus occupat; ſæpe ad inteſtina delata hæcce ſeroſo-lymphatica collectio, diarrhœam excitat; aliquando in ſtomachum effuſa, moleſtis vomendi conatibus, vel vomitu vix ferendo ægrum infeſtat. Maxime proficua autem eſt, lymphæ hujus, a prohibita perspiratione, accumulatæ, ad renes propulſio, ubi copioſe ſecreta, periculoſa ſymptomata mirum in modum ſublevat, dum ſimul virus contagioſum ibi eluitur, quod inflammationis in puſtulis gradum minuendo ſolamen affert ægrotanti.

Symptomata hæcce ut moleſta, in confluentibus vix evitabilia, imo neceſſaria potius reputanda ſunt, cum tumoribus hisce & evacuationibus non ſuccedentibus, vel disparentibus ſubito quando adſunt, omnia

peſſime ſuccedunt & exitum funeſtum minantur. Quare naturæ conatibus ſubveniendum ; ſi per fauces & ſaliva excretionem copioſiorem, humorum accumulatorum pondus evacuare natura intendit ; diluentibus & aparientibus liquidis, in magna copia hauſtis ; hocce ſalivæ profluvium continuo promovendum, & ſi inferiores faucium partes nimis turgidæ deglutitionem cum reſpiratione difficilem reddunt, gargarismate, emolliente colluendum ſæpe os, imo ope ſyringæ profundius intrudendum ejusmodi emolliens & reſolvens decoctum, & omni ſtudio cavendum ne retrocedat hocce ſalivæ profluvium, quod tunc manifeſtatur, quando ſubſidente cutis inflatione rubicundæ in interstitiis puſtularum areolæ ſubito livescunt, elevatæ & expanſæ variolarum apices deprimuntur, & ſi in centro depreſſo aliquando nigræ adparent maculæ, quæ incipientis gangrænæ indicia ſunt. Virium proſtratio tunc, cum pulſu debiliori inordinato, functionum vitalium defectum indicant. Subſiſtente ſic minima ſpe de ægroti reſtitutione, anceps remedium ſuppeditare præſtat quam nullum ; itaque in tam adeo triſti & desperata ægri conditione, mixturam ex aquis diſtillatis analepticis ſimplicibus, cum tertia parte, aquarum ſpirituoſarum miſcui, addendo decimam Tincturæ bezoardicæ partem, ſimilemque portionem de Spiritu vitrioli dulci, ad mentem Hoffmanni elaborato, liquoris anodyni mineralis nomine inſignito ; Ægrotis hisce de hoc medicamento omni hora cochlear unum vel alterum adſumendum tradidi ; quo facto, ſi tunc pulſus magis elevatus, vitæ vires reſuscitatas indicaret, ſanguinis in cute externa circuitum reſtitutum mox deprehendi, quo ſuffocatum in puſtulis ſuppurationis negotium denuo inchoatum & ſucceſſive abſolutum apparuit, ſicque nonnullos pro deploratis habitos

ſanitati reddidi. Si ad inteſtina delabitur retenta hæcce a transpiratione ſeroſa colluvies & diarrhœas ibi excitat, nequaquam convenit, evacuationem hancce ſæpiſſime criticam & ſalutarem, remediis adſtringentibus cohibere, præcipue ſi vires vitæ minime debilitatas, nec maturationem in puſtulis interruptam conſpicimus; quod ſi autem nimius liquidorum per inteſtina ſeceſſus, puſtulas deprimere & livida interſtitia reddere inciperet, diarrhœa ilico ſiſtenda eſt, quo ſcopo confert pulveres exhibere, ex Cort. Caſcarillæ, & Coralliis rubris confectos, adjecto grano uno vel altero Croci martis antimoniati & Pilularum maſſæ de Cynogloſſo pro ſingulis doſibus; aliquando Diascordium cum ſucceſſu adhibui, vel ejus drachmas duas in decocto Veronicæ dilutas, loco clysmatis injicere curavi Optimum autem eſt naturæ conamen, quando lympha hæc ſeroſa, a ceſſante transpiratione accumulata, verſus renes propellitur: ad facilitandam augendamque hanc in renibus ſecretionem, nihil magis proficuum reperire potui quam nitrum, cujus grana 8 vel 10, cum totidem granis Tartari ſolubilis permixtum & granis duobus vel tribus ſalis ſuccini volatilis acuatum, bis, ter vel quater die adſumendum dedi, cum Infuſo ex ſpeciebus reſolventibus diureticis, vehiculi loco in copia hauriendo.

Symptomata hactenus conſiderata magis occurrunt quando varioloſum miasma ſusceptum, ad febres inflammatorias diſpoſitionem in ægroti corpore offendit; Sed accidit ſæpius, quod hocce contagium, febribus malignis, epidemice graſſantibus, vel etiam putridis junctum, funeſtum utplurimum variolarum genus producat, nullo fere remedio nullaque Medici ſtudio & induſtria coercendum. Febris nimirum maligna epidemica, cum ex corrupto valde & putrido cruoris

ſtatu

ſtatu originem trahat, vel contagio communicata, ſanguinem hominis cujusdam, cæteroquin ſani in hunc ſtatum adeo corruptum & depravatum mox convertat; ſi tunc novum malignitatis fomitem ex varioloſo miasmate acquirit, non poteſt non peſſima, quæ vix imaginari poſſunt, corruptiſſimi cruoris ſymptomata producere; ſanguis in hoc morbo duplicato e vena eductus, ab alcaleſcente putrida labe adeo diſſolutus apparet, ut frigefactus, nullum concretionis vel coagulationis veſtigium monſtret, quare febre varioloſa concitatus, ſigna ſtigmatum in variolis erumpentibus conſueta efformare recuſat, papulæ quæ exſurgunt, lividæ ſunt, mox nigricantes vel cruore diſſoluto repletæ adparent, interſperſis petechiis quandoque in illarum interſtitiis; quæ phænomena certe incipientis gangrænæ indicia cum ſint, periculum valde auget, maxime ſi per hæmorrhagias ſanguinis putridi acerrimi, hinc inde eruptiones ex oculis, naribus, gula vel renibus interveniunt; Summe funeſti variolarum hujus ſtatus ſanatio, ſi aliqua locum habet, in Oleo Vitrioli, camphora & Peruviano Cortice quærenda erit, ſed difficillime omnino obtinenda.

Peſſima adhuc reſultat variolarum ſpecies, quando malignum hujus morbi contagium corporibus communicatur valde debilibus, pituitoſis, quorum partes ſolidæ e fibris flaccidis relaxatis ſunt compoſitæ; pulſus eorum parvus depreſſus & lentus, cum lentum quoque ſanguinis motum & circuitum indicet, tardiores inde puſtularum eruptiones in iis ſunt expectandæ; confirmant præterea languidum hunc humorum circulum, vires fractæ, dolor capitis gravativus vertiginoſus, facies pallida, lotium tenue, crudum, ſitis exigua, calor modicus, quandoque alternatim frigus excipiens, &c. In hujusmodi corporibus varioloſum

miasma, pituitosum sanguinem conspurcans, nimis diu irretitum hæret, antequam ad corporis superficiem protrusum, papularum vestigia ibi efformare valeat; vidi illa aliquando sexto vel septimo demum die adparere, pustulas lento gradu pallidas, depressas, ichore acri limpido repletas, producere, quæ nunquam suppurationis aut maturationis gradum attingunt; coalescere hinc inde solent in vesicas planas, latas, diaphanas, acerrima lympha turgescentes; proinde *variolæ* hæ *crystalinæ* ab Autoribus quibusdam nominatæ sunt. Sed cum in variolis quibusvis, spes eventus felicis unica, in illarum suppuratione posita sit, nimirum ut tempore consueto pus benecoctum ex flavo albescens exhibeant; itaque ichorosus & corrodens hicce latex, statim sub morbi ingressum corrigendus & extinguendus est, antequam ad cutem delatus saniosas istas transparentes crystallinas vesiculas elevat; vires vitæ languidæ intendendæ, fibræ solidarum flaccidæ roborandæ, & serum pituitosum superfluum, per diuresim & diaphoresim eliminandum est. Pulveres bezoardici cum Nitro salibusque mediis, Essentiæ alexipharmacæ cum analepticis cardiacis potionibus huic indicationi satisfacere videntur; potus pro hoc scopo sit vinum generosum aqua dilutum in copia adsumendum; Pulsus tardus & debilis, si tunc febrilis aliquo modo redditur, spem facit, pustulas citius apparituras esse & pus coctum postea exhibituras. Epispastica & imprimis vesicatoria, cum partium solidarum stricturam intendunt, simulque lympham superfluam adimunt, non incongrue applicantur. Neglecta hacce, statim sub morbi ingressum medendi methodo, incassum erit postea ab arte auxilium expectare. Sic viginti annorum juvenem, illustrissimæ & ditissimæ familiæ unicum hæredem vidi extinctum, cui accerrimus & corrodens

in veficis latis detentus ichor ad interiora reverfus, exefa carne, offa, imprimis fcapulam finiftram, fubjectasque coftas excitata carie, adeo contrivit, ut in fragmenta diffolverentur, & ex ulceribus putridis deciderent.

Accidit aliquando febrem, tempore confueto, variolarum loco, papulas extrudere elevatas & acuminatas quidem, fed nullo liquido repletas, folidæ proinde apparent ex fibrillis denfis intus conflatæ, verrucofæ ab Autoribus quibusdam nominatæ, ad diftinctas variolas referendæ, quoniam confluere nequeunt; me bis vel ter illas vidiffe memini; funeftæ utplurimum funt, cum contagium ex fanguinis maffa minime expulfum, intra corpus remanet diraque fymptomata varii generis excitando, nunc acutos, nunc chronicos morbos excitat, plerumque infanabiles.

Adparent cæteroquin fymptomata in morbi hujus decurfu nonnulla, quæ magis terrorem incutere quam periculum afferre folent; inter ea referuntur vehemens, ante ftigmatum eruptionem, narium hæmorrhagia, quæ nunquam fane cohibenda, cum febrilem æftum exftinguendo, variolas benigniores, nullis fymptomatibus funeftis ftipatas producit. Idem valet de monftruo fluxu circa hoc tempus prorumpente, five ille confueto vel ante terminum folitum irruat, nam morbum inde mitiorem futurum multoties expertus fum. Nec pejoris præfagii funt fpaftici vel convulfivi motus, inftante puftularum eruptione ægrum conquaffantes. Memini me aliquando accerfitum fuiffe ad puellam quandam 12. circiter annorum natam, habitu corporis vegeto formaque pulcherrima præditam; obftupui, poftquam cubiculum intraveram, cum viderem quod quatuor mulierculæ & ancillæ non fufficerent ad motus illos convulfivos-epilepticos repri-

mendos, qui caput, pectus, abdomen reliquosque artus maxima vi concutiebant & quasi disrumpere minabantur; cum per horæ quadrantem conflictata esset miserrima convulsionibus hujusmodi, induciæ subsequebantur quidem, sed paucis horæ minutis præterlapsis, redibant denuo motus hi atrocissimi non sine summa animi perturbatione adspiciendi, subsecutis iterum induciis alternatim cum motibus diris epilepticis se mutuo excipientes, cum per horas circiter duodecim cruciatibus hisce atrocissimis quasi dilacerata tandem miserrima, viribus penitus exhaustis, somno corripiebatur profundiori, quem ultimum fore pertimescebant summo mœrore profligati parentes, sed post horas sex vel septem, a somno expergefacta, totum corporis superficiem stigmatibus variolosis obtectam monstrabat, valde debilis quidem, sed symptomatibus prægressis dirissimis præcedentibus exempta, a variolis licet numerosissimis, nullo molesto symptomate superveniente sanabatur; Postea sæpius convulsiones, variolarum eruptionem præcedentes, maxime in infantibus observavi, sed mitiores, nullisque proinde symptomatibus periculosis concomitatæ; Remedium spasmodicis ejusmodi motibus resistens, est Nitrum cum absorbente marino, Cinabari & Visco quodam remixtum &c. quod sæpius bono cum successu postea exhibui.

Illud autem, quod in morbo hocce tractando Medici attentionem adhuc exposcit, est febris illa variolarum secundaria dicta, quæ tempore suppurationis, in confluentibus præcipue, oriri solet. Causa & origo hujus febris illum minime latere poterit, qui solummodo animum advertit, quod in hoc morbi statu totam corporis superficiem pus fluidum tegat & comprimat, vasa cutis resorbentia proinde non possunt non

ichorem hunc recipere & venis, in quas patula hiant, infundere. Sanguini autem commixtus ichor fibrillas partium irritando, non longe dissimilem effectum producere debet, ac ille fuit qui primum a suscepto varioloso contagio, febrem excitaverat; posito etiam quod pus coctum adeo tenax & spissum, vasa cutis resorbentia exilissima occupare minus aptum sit, alius tamen adhuc patet introitus; œsophagus nimirum, per quem ingens illa variolosi puris colluvies, in ore, lingua & faucibus collecta, ad stomachum & intestinorum tractum assiduo descendere & cruori per lactea vasa admisceri, omnino debet. Puris autem per hanc viam, in sanguinis massam ingressus ad febrem aliaque symptomata excitanda, cohibetur, si eo tempore quo febris adparet, cum scilicet ultimum exulceratæ pustulæ maturationis terminum sunt adeptæ, statim alvus laxante idoneo vel clysmate solvatur, quo scopo Rhabarbarum cum sale quodam medio acuatum, tutissimum erit remedium, bis vel ter quoque repetendum. Cumque Peruvianus Cortex insignem monstret efficaciam, a putrida corruptione sanguinem muniendum, quod ejus præstantissimus usus in gangræna cohibenda sæpissime docuit, extractum hujus corticis cum illo Cascarillæ, pro roborandi scopo permixtum, evacuantibus interpolandum, operæ prætium faciet; quibus adhibitis, præcaveri possunt symptomata quædam periculosa, quæ post variolas deletas, quandoque chronicos affectus, a sanguine inquinato ortos, introducere possunt.

Quamvis autem omnia, quæ ad morbum hunc superandum ars & experientia suggerit adminicula, probe fuerint adhibita, fateri tamen sæpius cogimur, quod interdum docta plus valeat arte malum, isto imprimis tempore cum epidemice grassari inceperint va-

riolæ, ubi in regionibus quibusdam ne tertia pars quidem, qui morbo hoc corripiuntur, ſanitati redditur. Ad immodicam hancce ſtragem reprimendam, mos ille, variolas ab infecto corpore in aliud ſanum transferendi, invaluit; A Circaſſiorum in Aſia mulierculis repertum eſſe artificium hocce perhibent, quo nimirum formæ pulchritudine conſpicuas puellas præmunire ſolent, ne variolæ copioſiores vultus amœnitatem deſtruant, ut ſic thalamis magnatum inſerviendis acceptiores ſint & vendi proinde majori pretio poſſint. Innotuit autem variolas inſerendi modus Europæis; Quadraginta circiter ab hinc annis, cum eo tempore Pariſiis commorarer, amicitiamque ibi contraxiſſem cum Græco quodam Carrazza dicto, Juvene honeſtiſſimo & animi dotibus egregiis prædito, ex ejus relatione cognovi hancce variolas transferendi modum Conſtantinopolitanis græcæ religionis addictis uſitatum, experimentum ſtatim inſtituere occaſionem nactus in puero ſeptennio parentibus orbato & educationi viduæ cognatæ commiſſo, quæ cum pauperrima eſſet & mendicando vitam ſuſtentaret, modico pretio permiſſionem ab illa obtinui eo faciliorem, cum quid peragendum eſſet ignorabat, cæteroquin de vita hujus pueri parum ſollicita mihi apparuit, cum nec quæreret ex me, quo ſcopo remedia puero, ad operationem facilitandam, adminiſtrarem; Expurgato itaque corpore, poſtquam de convenienti nutrimento ei porrigendo conſtituiſſem, vulnuſculo in utriusque femoris cute inflicto, filum ſericum variolarum pure imbutum immiſi, & ne excideret, emplaſtro impedivi. Tertio poſt inſertionem die, levi horrore febrili corripiebatur puer, modico valde calore ſubſequente; Circa quinti diei finem ſtigmata in femoribus & imo ventre hinc inde apparue-

runt, die sexto & septimo magis conspicua exsurgebant exanthemata in pectore & collo pauciora, & in facie quinque saltem reperire potui. Undecimo & subsequente die suppuratio completa aderat, & more consueto exsiccabantur diebus insequentibus pustulæ, & cum nulla molesta symptomata, arte productum morbum turbarent, in toto morbi decursu ægrum in lecto detinere superfluum fore existimavi; sicque convaluit puer, de nullo alio incommodo conquestus, nisi quod nimis cito a medicatione desisterem, cum melioribus alimentis vesceretur in operationis decursu, quam quibus antea fuerit nutritus.

Postea in patriam Anno 1721. l. 22. redux, cum per tempus aliquot apud Serenissimum Principem Anhaltino Bernburgensem commorarer. Ille, postquam ex relationibus publicis acceperat, methodum inserendi variolas in Anglia receptam & approbatam, mentem meam hac de re poscens, retuli, me jam experimentum optimo cum successu instituisse; laudabat conatus meos Princeps, & excitabat me ut in aula & inter subditos ejus operæ pretium & famam denuo reportarem. Annuente Principe, Aulæ Præfecti, perillustris Dni. de Beeck filia, 8 circiter annos nata, vultus pulchritudine æque ac ingenii precocitate valde conspicua, faciei amœnitatis tuendæ studiosa cum esset, ultro ad morbum artificialem hunc subeundum se obtulit; debite præparato corpore, quinto post insertione puris variolosi die febre corripiebatur, motus spastici insequebantur versus noctem; occultabatur meo consilio parentibus cubitum ituris symptoma, plus terroris quam periculi afferens, cum media nocte stigmata variolarum erupta, somnum placidum concedebant ægrotæ animo forti præditæ; reliquus morbi decursus, nullis molestiis obnoxius,

uti in votis erat transigebatur. Mox similem operationem sustinuit Principis cellarii præfecti filiolus 6 circiter annos natus, nec non duo vel tres infantes civium Bernburgensium adhuc, in quibus singulis variolarum insertio feliciter omnino successit. Ex hac methodo autem illud commodum & emolumentum emergit, quod funesta illa symptomata exulent tot ægrotis exitialia, quæ maximam partem a febris vehementia pendent morbum hunc concomitante, sive illa sit inflammatoria vel putrida aut maligna; quæcunque illa demum sit febrilis dispositio, priusquam contagio varioloso accedente in actum deducitur, suffocari ac deleri in corpore poterit per remedia convenientia ante puris variolosi insertionem exhibita; Vomitoria cum laxantibus ex primis viis sordes illas corruptas, fermentescentes, acidas, putridas, biliosas &c. abstergent symptomatum graviorum in hoc morbo productrices; Plethora, inflammatoriam febrem producendi apta, sanguinis detractione imminuitur, & nutrimento levi ac parciori, una vel altera ante operationem septimana exhibito impeditur, quibus accedit anni tempus, quod magis proficuum & salubre, ad morbum hunc artificialem efficiendum eligitur.

Primus procul dubio in Germania fuit, qui de variolis inserendi modo periculum feci, & experimenta institui, nec cœpta illa humano generi adeo proficua ulterius prosequi desiissem, nisi mox Berolinum vocatus, experimenta hæcce suspendere coactus fuissem; nondum cognita ibi erat hæc nova methodus, & de felici successu dubii hærentes & rei novitate perculsi etiam intelligentiores, nihil decernere audebant. Præterea mox Familiæ Regiæ, ad sanitatem ejus respiciendam admotus, interdicebar variolis decumbentes frequentare, ne contagium adportarem illis, qui morbo

hocce nondum correpti fuere, licet brevi post quatuor, ex serenissima hac Familia, variolis successive laboraverint & sanitati felicissime restituti fuerint. Manebat interim præjudicium, quod nefas sit, in corpore sano morbum excitare, cui forsan illud nunquam obnoxium fore crediderint; Sed temporis successu Medicis nonnullis ex amicis meis, (cum nova Stirpis Regiæ progenies, mihi manus huic operi admovere prohibet) ad operationem hancce perficiendam animum injeci, adeo ut variolarum insertio, in nonnullis procerum familiis, optato cum eventu sæpe peracta fuerit, uberioresque progressus sine dubio jam fecisset, modo minuta plebs de sanitate, morbo, & morte, prædestinationis fulcro sustentatos errores sibi adimere permitteret.

De Morbillis pauca habeo monenda, nam omnibus constat, morbum hunc magnam cum variolis affinitatem habere, contagio quoque communicari, non nisi semel eumdem hominem corripere & sæpius epidemice grassari, ea propter indicationes curativæ generaliores cum istis variolarum coincidunt. Differunt autem a variolis morbilli, quod exanthemata protrusa, magis depressa, in inflammationis gradu subsistent, nec suppurationem admittant, & sexto fere vel septimo die sub squamarum tenuissimarum forma, furfuris instar a cute rejecta decidant.

Febris autem valde inflammatoria esse solet quæ pustulas hasce, sub morbillorum nomine, protrudit, & cum epidemice grassantur, exitiosi quandoque deprehenduntur, nimirum, quando valde mota cum cruore contagii materies, in pectore & pulmonibus hærere incipit, id quod tussis cum respiratione laboriosa & æstus vehemens in omni corporis superficie satis manifestant. Symptomata hæcce periculosa valde,

ſub febris ingreſſu ſtatim mitiganda ſunt clysmatibus & ſanguinis detractione, quibus omnino impeditur ne peripneumonia funeſta ægrotum occidat vel in tabem pulmonalem, languida vita & denique præmatura morte expiandam præcipitet. Apparentibus phænomenis hisce, quamvis ſtigmata jam conspiciantur, ſanguinis miſſionem, præcipue in adultis, adminiſtrandam præcepi, nec viribus naturæ ad exanthemata ulterius propellenda, obſtaculum inde emergere, nondum obſervavi.

Uſum quem præterea præſtat, ſanguinis hæcce detractio, & in infantibus alvi conveniens laxatio, eſt illa humorum a capite verſus extremitates derivatio, qua præcavetur, ne dolens iſta palpebrarum inflammatio & in iſtis glandularum ſebacearum pruritus & corroſio, morbo hoc ſuperato, hisce partibus ſuperveniat & per multos interdum menſes ſedem ibi figat. Neceſſaria cæteroquin & nunquam omittenda eſt in morbillorum desquamatione etiam repetita alvi laxatio; ad effectus ſimiles qui ab acri lympha vel pituita originem ducunt, præcavendos.

Notatu dignus fuit morbus hic, qui anno 1751, Berolini epidemice graſſabatur; nullafere Familia erat exempta quæ non unum vel alterum ægrotum morbo hoc decumbentem exhibebat; vere jam exspirante, primum apparuit morbus, & viribus ſucceſſive acquiſitis, per totam æſtatem omnes fere aggreſſus eſt qui eo nondum laboraverant; Febris, comes ejus, acuta valde & inflammatoria erat, cum pulſu celeri & calore urente, in plethoricis adultis imprimis capitis dolor, cum levi delirio, quandoque narium hæmorrhagiæ, tuſſis ſicca cum lateris punctura, &c. obſervabantur, paucis diarrhœa ſupervenit, in plurimis alvus adſtricta manſit. Ex ſexaginta duobus, quibus medicinam feci, nec

unicus eo tempore extinctus fuit; In adultis plethoricis venam secare jussi, reliquis sub morbi ingressum, alvus laxabatur remediis adpropriatis & clysmatibus. Medicamenta, quæ adhibui, simplicissima erant; potus multus & assiduus ex decocto panis vel hordei aut avenæ sive Oryzæ, vel etiam ex graminis radice cum Citri succo vel vitrioli spiritu acidulata, ut & vinum aqua tribus partibus mixtum, aut jus carnium tenuissimum citri acido remixtum; hæc ad æstum temperandum & cruorem fluidum reddendum sufficiebant, ad papulas vero, per lenem diaphoresim expediendas, pulverem administravi ex partibus æqualibus, absorbentis cujusdam marini, antimonio diaphoretico, Nitro & Tartaro vitriolato, addita parva cinabaris quantitate, compositum, ad drachmam dimidiam bis, ter vel quater de die sumendum; maxima pars illorum, quos morbus hic abstulit, non ex vehementiæ ejus indole, sed ex regimine sudorifero coacto, remediisque expellentibus calidis adhibitis perierunt, neglectisque iis medicamentis, quæ ad symptomata superius memorata avertenda, necessaria omnino erant.

De reliquis Febribus exanthematicis, Purpura scilicet rubra, urticata, scarlatina & erysipelatosa.

FEBRIBUS exanthematicis non incongrue annumerantur omnes hi affectus, cum motibus febrilibus plus minus auctis, in cute externa ejusque epidermide protuberantias maculasque diversæ faciei elevare soleant. *Purpura rubra* exanthemata parva, seminis milii magnitudine monstrat, unde febris miliaris quoque dicitur, quæ tamen probe distinguenda ab illa, quæ

alba purpura adpellatur, de qua ſub febrium malignarum conſideratione jam egimus. *Purpura vel febris urticata*, maculas latas, ex pallido roſei coloris ſiſtit, ubi epidermis hinc inde crispata, & asperitate ſerpiginoſa efflorescens conſpicitur, ſimilem in modum, ac ſi cutis urticæ punctúris læſa fuiſſet, unde nomen accepit. *Febres ſcarlatinæ* & *eryſipelatoſæ* in eo conveniunt, quod maculas oſtendant intenſius rubicundas, ignaris ſtatim pro morbillis habitas, quæ mox coalescunt & latiores redduntur; differunt vero inter ſe, quod ſcarlatina febris cutim minus elevando, in tota corporis ſuperficie intenſiſſimo rubro colore conspicua, ſe extendere ſoleat, cum illa eryſipelatoſa, cutim magis in tumorem manifeſtum attollendo, faciem & caput imprimis occupet & per totum corpus haud dispergatur. Hic autem capitis tumor, qui a ſola cute affecta non videtur oriri poſſe, a tunica celluloſa, cuti ſubjacente, ſimul affecta, augmentum acquirere debet, unde eryſipelas phlegmonodes potius eſt, qui in hoc capitis tumore aſſurgit, cum artis peritis notum ſatis ſit, quod in phlegmone inflammatoriæ ſtaſes, præter cutim, ſuppoſitam quoque celluloſam tunicam, & carnem occupent.

Febriles motus in hisce affectibus leviores eſſe ſolent imprimis in febre urticata & ſcarlatina, quamvis in purpurea ſive miliari febre graviores interdum deprehendantur. Cutis hæ papulæ, efflorescentiæ ſeu exanthemata, cum quarto, quinto vel ſeptimo interdum, a valetudinis debilitatæ die erumpere ſoleant, criſes harum febrium conſtituunt, quibus natura, per vias transpirationi & ſudori dicatas, mox plethoram, mox ſanguinis acrimoniam & impuritates ſuperfluas eliminare intendit. Proinde cauti eſſe debemus, ne medela perverſa & remediis incongruis, criſes ejus-

modi interrumpendo, graviores morbos introducamus, quod sæpius regimine calidiori & medicamentis cruorem in motum nimium cientibus efficitur; Sic puerperæ statim post partum enixum, in lecto plumis onusto stragulis densis coercitæ, a nimio sudore excitato, purpura rubra sæpe corripiuntur, quæ si tunc, ad humores, ut putant, nocivos magis expellendos, medicamentis calidis, spirituosis, alexipharmacis utuntur, purpuram istam rubram minus noxiam, in albam malignam convertunt, quæ multis hic puerperis olim adeo exitiosa fuit &c. plerumque autem paucis imo nullis sæpe artis adminiculis opus est, cum epidermide soluta & desquamata, efflorescentiæ hæ brevi sponte dispareant. Sufficit itaque, si artis auxilium expetitur, ut larga diluentis aperientisque liquidi copia, pauco citri succo imbuta, successive haurienda, corpus impleatur, interpolato quandoque pulvere absorbente, ex Conchis, Nitro & antim. diaphoretico conflato, hisce omnino efficitur, ut morbi materies, jam ad corporis superficiem delata, eo facilius difflari & extrudi possit.

Præterea non incongruum fore existimo, hic notare, quod in hominibus nonnullis cæteroquin sanis, sine ulla febre prægressa, certis anni temporibus, exanthemata in cute hinc inde erumpant, quæ mox sub purpuræ miliaris forma, jam sub serpigine pustulari specie, vel alia papularum rubellarum facie in conspectum veniunt, ex quibus non raro lympha acris, sub epidermide hinc inde elevata & decidua, eructatur; quæ, ut parva & fere imperceptibilis sit hæcce humoris viscidi copia, si temerario ausu remediis topicis, ad pruriginem incommodam aufferendam, reprimitur & pustularum scaturigo exsiccatur, tunc periculosos valde excitatos inde vidi affectus, hominem cæteroquin

ſanum in vitæ discrimen præcipitantes. Fœmina in ætatis flore conſtituta, a retropulſis hujusmodi exanthematibus, quæ in utroque brachio quotannis erumpere ſolebant, ophthalmiam atrociſſimam perpeſſa eſt; cum nullis auscultaret remediis ſummus hic inflammationis gradus, & ulcuscula in corneæ æque ac in albugineæ membranis viſum periturum annunciabant, poſt alvi laxationes & ſanguinis detractiones reiteratas, veſicatoriis emplaſtris applicatis & fonticulo in utroque brachio excitato, affluxum humorum a capite verſus inferiora reducendum denique aſſecutus ſum, poſtquam tempus trium fere menſium in morbo hoc ſanando inſumpſiſſem. Sic & juvenem novi, a retropulſis ejusmodi exanthematibus ſurdum evaſiſſe.

DE FEBRIBUS

Acutis inflammatoriis.

SECTIO VII.

FEBRIUM hæcce claſſis conjunctam ſemper habet inflammationem in viscere quodam, vel aliis quibusvis corporis humani partibus ortam; Nimirum cruor a quacumque cauſa, in vascula arterioſa minima, cum impetu propulſus, (per cujus fines anguſtas tranſire nequit) ſtagnationem ſive incipientem obſtructionem creat, quam ſtaſim inflammatoriam appellant; ſanguis mox a tergo, vi cordis contra obſtructum motus, & fortiter preſſus, vasculorum dilatationem & glo-

bulorum cruoris attritum efficit, qui calorem molestum excitat cum acerbo dolore sæpe conjunctum, unde inflammationis conceptus oritur; Si tunc pressio cum attritu, adeo minui artis auxilio possunt, ut hærens inflammatoria obstructio iterum resolvi & denuo sanguinis circulo reddi possit, *inflammationis resolutio* cum morbi levamine subsequitur; sin vero cruoris motus vehemens, attritum eo usque adauget, ut vascula rupta tenera, fluidis dissolutis mixta subiguntur, tunc omnia, in loco inflammato, in albicans, spissum, pingue liquidum, pus dictum, convertuntur, & tunc *inflammatio in suppurationem* desinit, quæ si ingens est, & exitus materiæ huic corruptæ, ratione loci, e corpore præcluditur, ægroto funesta erit inflammationis ejusmodi determinatio, aut saltem febres lentas hecticas efficiet, a pure cruori admixto, a visceris cujusdam inflammatione formato. Quod si autem vehemens hujusmodi inflammationis gradus, in corpore cacochymico, humoribus, ad putridam alcalescentem acrimoniam vergentem, repleto, exoritur, ilico tunc vascula rumpuntur & cum sanguine putrido acri in ichorem conversa, circa ambitum omnia destruunt, sanguinis circuitum delent, & corruptionis istum gradum efficiunt, qui gangrenæ & sphaceli nominibus insignitur. In illis denique corporis humani partibus, glandulosis dictis, ubi motu debiliori humorum circulus deprehenditur, stagnationes ejusmodi, sanguinis potissimum serosi, parte magis fluida lymphatica resorbta, residuum successive inspissant, quod in coagulum denique transit valde densum & immobile, sub nomine scirrhi notum, nulla arte facile dissolvendum. Hisce præmissis intellectus aliquo modo expeditur ad diagnosim æque ac prognosim in febribus inflammatoriis melius eruendam.

De Phrenitide.

PHRENITIDEM adesse novimus, quando æger febre acuta continua detentus, perpetuo delirat, pulsum durum & fortem exhibet, respiratio tarda & profunda observatur, & facies plerumque valde rubra cernitur, oculi mox truces & scintillantes tunc ex orbitis protuberant, simulque somno turbulento agitatur ægrotus, urina ejus cruda, tenuis, vel alba adparet, quæ interdum una cum alvi fæcibus supprimitur, lingua arida & nigra est, præterea indecoram in adstantes violentiam quandoque exserere cupit ægrotus, manibus sæpe trementibus floccos colligere tentat vel lectus integumenta plicare allaborat, sæpe tunc convulsus moritur; interim peculiare in hac febre pessima observatur, ægrum nullo potus desiderio tentari, ita vidi aliquem qui 24 horarum spatio vix liquidi unciam adsumpserat, non obstante lingua aspera, dura & siccissima.

Distinguunt Medici, Phrenitidem in veram sive *idiopathicam*, ubi febris acuta simul cum encephali inflammatione reliquisque enumeratis phænomenis incipit, & *Symptomaticam*, quando materies morbifica, ab alia febre prægressa, maxime continua acuta, crisi perversa, per metastasim ad caput delata, in cerebro ejusque involucris meningibus inflammationem producit; hæc sæpius occurrit & magis funesta esse solet quam prior idiopathica.

Ex observationibus collectis constat, veram phrenitidem seu idiopathicam aggredi utplurimum juniores & in ætatis vigore constitutos homines, habitu corporis siccioris, vasis rigidis & cruore sicco, coacto, copioso, præditos, qui victu lauto adsueti, liquoribus calidis fermentatis & spirituosis abutuntur, motu nimio

nimio se exæstuant vel inter diuturnos solis ardores vehementiores versantur. Sic quoque ii phrenitide vera correpti fuere, quibus narium hæmorrhagia consueta emansit, aut hæmorrhoidum fluxus ex quacunque causa suppressus fuit, uti & in sexu observatus aliquando fuit hic morbus ex subita menstrui fluxus versus caput regurgitatione. Symptomatica autem phrenitis ab omni acuta inflammatoria febre, ut & a putridis & malignis oriri potest, nimirum quando morbosa & corrupta materies ab imperfecta crisi collecta per metastasim cerebro impingitur. Sic a peripneumonia & variolis ortas phrenitides, & pene multas, a catarrhali maligna, petechiali aut petechizante febre inductas, utplurimum exitiosas vel lethales sæpius vidi & ab omni artis auxilio destitutos hos ægrotos dolui.

Dissecta a phrenitide defunctorum cadavera, summas meningum inflammationes, suppurationes, aut materiæ corruptæ abscessus exhibent; in illis, quæ me præsente aperire jussi, piam sive tenuem meningem adeo inflammatam conspexi ut atro rubro colore vigeret, dura meninx autem leviorem solummodo inflammationis gradum monstrabat. In alio, phrenitide extincto, pus tenue fluidum in omnes cerebri corticis circumvolutiones penetrans, tenuem meningem quasi deleverat, & in cerebri ventriculis ichor putris fluctuabat. In alio adhuc, meninges inflammatas quidem sed illæsas, in basi cranii autem pus ichorosum fluidum nervorum exitum ambiens in copia detexi, qui brevi ante mortem convulsionibus validis correptus obiit. Hi omnes a malignis febribus catarrhalibus symptomaticam phrenitidem acquisiverant. Sed in puero decennio, phrenitidem a variolis confluentibus nacto, eaque extincto, maximam cerebri sinistri lateris partem in pus fœtidum conversum reperii.

Ex quibus omnibus patet, quam debile vel anceps auxilium ab arte expectandum sit in curanda phrenitide, cum nobilissimum illud viscus, quod omnibus reliquis motum & vitam impertit, corruptis adeo & pessimis liquidis imbutum quasi suffocatur: accedit quod delirantes ægri remediorum applicationem utplurimum respuant, & omne artis auxilium impedire allaborent; Nihilominus, cum ex observationibus nonnullis constet, quod ex provido naturæ conamine morbus hic periculosissimus aliquando fuerit sanatus, itaque spem penitus deserere inconsultum fore arbitror. Naturæ ductu autem phrenitides per narium imprimis vel uteri hæmorrhagias sublatas novimus teste exceptione omni majore Hippocrate, qui in Coac. prænot. N°. 120. affirmat phrenitidem lethalem esse, nisi narium hæmorrhagia superveniat. Confirmat hocce assertum in Epidem. lib. 1. & 3. imprimis, ubi ægros multos nominetenus recenset, febribus acutis cum delirio decumbentes extinctos, iis solummodo servatis, quibus narium vel uteri hæmorrhagiæ copiosæ eruptæ fuerint, insecuto multo calido sudore ac lotio cocto sedimentum deponente; quemadmodum videre est in ægrotis 6. 7. 11. & 12. libr. 3. Epidem. recensitis. Confirmat hoc ipsum Galenus l. 3. de Cris. c. 3. & Zacut. Lusitanus Observ. 12. Phreniticum, hæmorrhagia narium arte, mediante penna fissa, excitata, sanitati restituit.

Efficiunt autem copiosæ hujusmodi hæmorrhagiæ, ut cruor per carotides & vertebrales arterias impetuose ad cerebrum delatus a capite revulsus imminuatur, sicque pressione ablata, fibrillis vasculorum obstructorum vis accrescit, sanguinem hærentem & inflammantem retropellere, quo facto imminens per attritum, vasorum destructio averti & inflammatio

dissolvi solet. Deficientibus autem hujusmodi hæmorrhagiis a natura productis, venæ sectionibus illas supplere convenit, suadentibus hoc ipsum Medicis in arte consummatissimis Sydenhamo imprimis & Boerhaavio. Cum vero omnis inflammatio, quæ non resolvitur, intra quatriduum, destructis vasculis in pus abscedat, & ex observationibus constet, phrenitide idiopathica correptos ægrotos intra dies 6 vel 7 utplurimum mori; Itaque revulsoria ista venæ sectio, statim sub ingressum morbi peragenda, alias frustra instituetur; jugulares venas in hunc scopum aperiendas esse suadent quidem Autores, sed cum delirare jam incepit phreniticus, hunc operationem in collo ejus exsequendam nunquam permittet, & coactus in furorem facile præcipitabitur morbum ejus insanabilem redditurum; Idem valet de capillorum abrasione adeo proficua a Celso & Sydenhamo valde commendata. Hanc sanguinis detractionem ipse cum successu expertus sum in juvene viginti & tres annos nato, temperamento sicco, robusto & moraliter cholerico-melancholico prædito, ad vehementiores animi affectus prono, præterea diæta lauta dedito & vini strenuo potatore; hic cum mense Augusto maximo & ferventissimo æstu, iter 6 milliarium in tot horis equo vectus confecisset, nocte insequenti febre acuta correptus, de summa anxietate circa præcordia, conatibus vomendi & obtuso capitis dolore conqueritur, omnibus hisce exacerbatis circa vesperam, nocte altera post accessum, mente perturbatus aliena loqui incepit; mane accersitus, ægrotum, stragulis remotis, in lecto sedentem & febrili æstu valde commotum, facie oculisque rubris fulgentibus circumspicientem salutavi, sed immotus manebat, & ad ea, quæ interrogabam, minus pertinentia respondit, pulsus celer & durus erat & respiratio

fortis & satis lenta, cumque ad capitis dolorem, quem indicabat, compescendam venæ aperturam proponerem, non nisi ægerrime & quasi coactus consentiebat; sanguis ad libræ unius pondus e brachio detractus, ex atro-ruber, spissus & pellicula cærulescente tectus apparebat, alvum biduo constipatam, infusione ex Rheo, Senna & Tartari cremore satis copiose duxi, & decoctum Graminis & Scorzoneræ radicum, cum adjecto Nitro & Syrupo ex Citri acido succo, in copia hauriendum præbui. Cum autem versus vesperam, nulla, nec in pulsu, nec reliquis phænomenis mutatio deprehendebatur, venam denuo aperire, & idem cruoris pondus, ac ante meridiem aufferre jussi, quo facto magis tranquillus adparuit æger, & nocte subsequente, aliquoties per horæ quadrantem somno detentus fuit; die insequente, scilicet tertia post morbi ingressum, cum pulsus velox adhuc subsisteret & capitis dolor parum imminutus deprehenderetur, necnon faciei rubedo sanguinis validum adhuc versus partes superiores affluxum indicarent, cucurbitulas octo vel decem cervici & scapulis admovere constitui, & ex vulnusculis in cute elevata inflictis, cruoris copiam detrahere curavi, & quidem consentiente ægro, qui a capitis dolore se levatum aliquantisper sentiebat, non adeo rationis expers tunc erat, ut ea dijudicare non potuisset, quæ ad sui conservationem necessaria essent; quare convictus de periculo in quo versabatur, permisit ut plantis pedum epispastica ex Synapi, aceto & panis fermento composita apponerentur, sic quoque clysmata acria quotidie injicienda approbavit; hisce adminiculis sanguinis versus cerebrum affluxus imminutus, & diarrhœa excitata ad inferiora revocatus humorum motus, dissolutioni inflammatoriæ staseos in meningibus mora con-

cedebatur, in quo dissolutionis negotio præter diluentia aperitiva in copia hausta, mire opitulabantur pulveres ex absorbente aliquo marino cum 8 granis Nitri & tribus vel quatuor camphoræ conflati, ter vel quater de die adsumpti. Cumque lectum ejusque tegumenta ægre toleraret ægrotus, in sella collocatum, abdomine & pedibus probe coopertis, sed capite solummodo leviter tecto, detinere interdiu jussi; quinta die cruoris ex naribus aliquot guttulæ solummodo distillabant, & nocte insequente, cum mens satis tranquilla esset, per duas horas dormivit, sexta die pulsus mollior & remissior erat, sed versus vesperam febris exacerbatio cum pulsu celeriori deprehendebatur & noctem insomnem duxit occurentibus subinde levioris delirii vestigiis, die subsequente, posteaquam alvus per duo clysmata valde repurgata erat, febriles motus supprimebantur versus noctem, & post somnum sæpius interruptum, mane sudoris quædam vestigia in capite apparuerunt; decimo & undecimo die, cum pulsus sat mollis & naturali accedens, inflammationis in cerebro dissipationem annunciaret, cibum & potum iterum appetere videbatur æger, & cum vino valde adsuetus esset, ad ejus preces, parva portio ei concedenda fuit, somno magis reficiebatur tunc, & decimo tertio ac quarto, sudoris ingens profluvium non interruptum, omnes morbi reliquias penitus excutiebant, adeo ut vigesimo circiter die, sanitati integre restitutus fuerit.

Hancce phreniticos succurendi methodum mutatis mutandis postea, nonnullis exercitus nostri legionum Chirurgis inculcavi, sed cum phrenitide symptomatica utplurimum obruerentur illi, quæ febre catarrhali maligna vel continente putrida fere exhausti viribus erant, paucis solummodo proficua fuit illa me-

thodus, maxima pars ſuccubuit huic morbo phrenitice pro inſanabili fere reputando.

Angina inflammatoria.

MOrbus qui ab ἄγχω ſtrangulo Anginæ nomen accepit, parvum quidem ratione ſedis, ſed latiſſimum intuitu multarum partium quas infeſtare ſolet, campum occupat. Nam oris interiora, fauces, lingua, palatum, pharinx cum laringe, & aſpera arteria ut & harum partium oſſa, membranæ, cartilagines, muſculi, vaſa, glandulæ & nervi, reſpirationis, vocis & deglutitionis inſtrumenta, diverſimode affici posſunt, ut aeris reſpiratio & nutrimenti deglutitio, primaria vitæ adminicula ita alterari & impediri queant, ut in ſummum vitæ diſcrimen ilico quandoque præcipitetur hominum ſaniſſimus. Nimirum aeris & nutrimenti perpetuus ad has partes appulſus, ſi inſalubria & nociva exiſtunt, ſtatum illarum ſanum mox depravare poſſunt ut anginæ mox pateat aditus; cauſis hisce ab extra allatis, adnumeranda quoque venit vitioſa qualiscunque cruoris diſpoſitio, quando noxia ſegregata morboſa materies hisce organis, deglutitioni & reſpirationi dicatis per metaſtaſim traditur, in quorum vaſculis & meatibus glanduloſis ſecretoriis eo facilius hærebit, & obſtructiones contumaciores pariet, quo magis ab aere frigido tranſiente vaſa hæcce conſtringuntur, & collecta in illis materies morboſa compingitur.

Quamobrem omnis angina cauſam ſui proximam in obſtructione collocat; Quod ſi obſtructio hæcce vaſcula ſeroſa membranarum & glandulas, præcipue tonſillas occupat ut intumeſcant, tunc *angina pituitoſa vel aquoſa* in conſpectum venit; ſi obſtructum minus

refolubile in glandulis exficcatur & indurefcit, *anginæ fcirrhofa* inde oritur; Si cruoris globuli rubri in harum partium arteriis ultimis propulfi coacervantur, & hujusmodi obftructum in tumorem magis rubrum elevant, *angina inflammatoria* prodit, quæ, fi refolutione incaffum tentata, illa inflammatio in pus convertitur, *angina fuppuratoria* exiftit; in nimium corrupto cruoris ftatu autem, ubi nec refolutione, neque fuppuratione vafa obftructa a deletrici mortificatione præcaveri poffunt, *angina gangrænofa* lethalis originem trahit, nullo remedio reprimenda.

Omnes hæ anginæ, hactenus recenfitæ, fpecies, cum tumore manifefto, vel pallido, vel rubello infpicientibus adparent, illæ catarrhalem utplurimum, hæ vero inflammatoriam febrem habent comitem. Sunt autem & aliæ anginæ fpecies, nullo tumore manifefto in faucibus detegendo, a Medicis obfervatæ, quarum præcipua illa eft, quæ ab acri vellicante materia, in fibrillis nerveis mufculorum laryngis collecta, illos in violentas conftrictiones, aeris in pulmones ingreffum præcludentes, cogit, ab Autoribus *angina convulfiva* nuncupata utplurimum ilico lethifera. Præter hanc & alia occurrit, in laryngis cartilaginibus, vel fub illis in afperæ arteriæ membranis fedem figens, anginæ cujusdam fpecies, cujus tumor inflammatorius ob ftructuram latentem infipicienti oculo quoque fubducitur; ut & illa denique, quæ in pharyngis arctiori tubo, nempe œfophago, ab obftructione vel inflammatoria vel pituitofa, vifum fugiente emergit.

Diverfis hisce anginæ fpeciebus, vetuftiores Medici, diverfa quidem nomina, fed cum ftructuræ penitioris harum partium ignari effent, non fatis conve-

pientia impoſuerunt; Apud *Trallianum* (1) & *Æginætam* (2) inflammatio muſculorum internorum laryngis κυνάγχη, externorum vero παρακυνάγχη audit, quemadmodum pharyngis muſculorum internorum inflammatio συνάγχη. externorum vero παρασυνάγχη ab illis dicitur. *Aretæus* (3) anginam graviſſimam absque tumore συνάγχην nominat, & illam leviorem faucium κυνάγχην appellat. *Celſus.* (4) ex Græcis Autoribus, atrocem ſiccam anginam συνάγχην leviorem cum tumore παρασυνάγχην vocat. Apud *Hippocratem* (5) συνάγχης vocabulum non occurrit, periculoſiſſimam illam, absque tumore anginam κυνάγχην dicit, & leviorem παρακυνάγχην cum quo & *Cælius Aurelianus* (6) coincidit; *Sydenham* (7) illam vero Synanchem dicit quam doctiſſimus *Meadius* (8) faucium ſtrangulationem nominari vult. Sed miſſis hisce ſuperfluis, firmiori fundamento nititur ſuperius tradita morbi hujus diviſio, quam ex natura læſionis & ſtructuræ partium affectarum detexit celeberrimus *Boerhaavius.* (9).

Prognoſeos & curationis intuitu, illa anginæ diviſio, quæ cum tumore conſpicitur, & quæ ſine illo exiſtit, fere ſufficit; prior idiopatica, poſterior ſympto-

[1] *Trall.* libr. 4. c. 1.
[2] *Ægin.* libr. 3. c. 37.
[3] *Aret.* Tetrabibl. 2. Serm. 4.
[4] *Celſ.* l. 4. c. 4.
[5] *Hip.* in Coac. prænot. N°. 266. it. in prognoſt. c. 5, &c. in Aphor. Sect. 4. §. 34.
[6] *Cæl. Aur.* acut. morb. libr. 3. c. 2.
[7] *Sydenh.* Sect. 1. c. 5.
[8] *Mead.* in monit. p. 92.
[9] *Bœrh.* in Aphorism. Tit. de Angina.

matica appellanda erit, cum plerumque ab alio morbo prægreſſo efficiatur. Tumor autem in angina aſſurgens vel albus, catarrhoſus, lymphaticus, cum motu febrili leviori conjunctus, vel magis ruber inflammatorius cum acuta febre ſtipatus cernitur; ambo deglutitionem dolentem, & reſpirationem valde difficilem reddunt; aquoſa vel catarrhalis angina interim, vaſa excretoria lymphatica magis occupat, illaque obſtruendo in tumorem attollit, qui ingens aliquando & omne fere ſpatium in faucibus præcludens detegitur, quod non mirabitur ille, qui novit, totam hujus ſpatii ſuperficiem innumeris in omni puncto vaſorum oſculis eſſe perforatam, quæ lympham tenuem ſalivalem perpetuo eructant, non ſolum ad reſtituendum iſtud humidum, quod omni momento ſub vaporis ſpecie diſſolutum tranſiens exſpiratus aer in copia auffert, ſed & ad cibum maſticatum magis diluendum & ad commodam deglutitionem aptum reddendum. Cæteroquin membrana hæcce communis fauces & gulam undique inveſtiens, cum ſe retro palatum, in olfactus organi anfractus & ſinus extenſa occultat & pituitariæ membranæ nomen accipit, occaſione hujus aquoſæ anginæ, ſimili modo affici poteſt, gravedinem & coryzam producendo, & interdum peſſimum illud concretum ſub narium polypi nomine cognitum efficiendo. In inflammatoria autem angina, quæ in eodem faucium ambitu apparet, ſanguis arterioſus, in vaſculis minimis propulſus, hæret & coacervatur, obſtructa hoc modo vaſcula extenduntur & partes affectas in tumorem elevant, fluidus adhuc cruor, vi cordis contra obſtructum preſſus, frictionem & attritum excitat, unde calor, dolor, rubedo cum febre inflammatoria originem trahunt.

Angina catarrhalis, tumore lymphatico albicante in faucibus conspicua, cum respirationem operosam & deglutitionem dolentem & difficilem valde reddit, æger suffocationis metu territus, citam tumoris dissipationem urget; Quare Medico incumbit, ut stasim hancce seroso lymphaticam, stagnatione in pituitam tenacem conversam, iterum dissolvat, fluidiorem reddat, & per excretiones naturales auctas, alvi scilicet, renum ac cutis e corpore eliminet; cumque solida deglutienda quævis obstaculum offendunt, decocta vel infusa laxantia, ex Rheo, Senna, Manna &c. cum sale quodam medio acuata, ut diarrhœa excitetur, assidue haurienda, pro vehiculo autem inserviunt, loco potus ordinarii, infusa ex radicibus & Lignis aperientibus, diureticis & sudoriferis conflata, e. gr. Rad. Scorzoner. Gramin. Pareir. br. Cichor. Bardan. &c. Lign. Sassafr. Cass. lign. &c. & pro nutrimento jus carnium sufficit, ita paucarum dierum spatio tumor subsistere solet, imprimis si vascula, nimium relaxata, gargarismate subadstringente aromatico roborantur. Sic in hac anginæ specie, medicamentis externis, sub cataplasmatis vel emplastri forma collo admovendis non facile opus est, nec peculiarem usum a vesicantibus in nucha excitatis expertus sum; continuata per dies aliquod alvi copiosa subductio, aquosam compescet anginam, si uvula nimium relaxata & linguæ incumbens, admotis adstringentibus notis auscultare recusat, forcipe facile resecatur, nec damnum inde emergit, teste propria experientia.

Sed accidit aliquando status quasi mixtus in hac aquosa angina, ubi tonsillarum ingens pallidus tumor diutius subsistens & calidis tractatus remediis, obstructum pituitosum cum vasculis simul in pus album mucilaginosum convertit; hoc, tactu, dolore incres-

cente, & insuper vesicula elevata dignoscitur, ilico tunc lanceola, linteis ad apicem usque circumvoluta, incidendus est tumor, ne partes contiguæ lædantur; ingens tunc materiæ suppuratæ copia solet prosilire cum ægroti levamine & morbi hujus post paucas horas integra ablatione. Tumorem inde scirrhosum in sinistri lateris tonsilla, ab angina remanentem, vidi in viro quinquagesimum annum agente; cum autem per 6 annos jam substitisset absque doloris sensu, quamvis gulæ medium præcluderet tumor, nullo medicamine illum tentare consultum duxit ægrotus.

Sed plus operæ & laboris facessat Angina inflammatoria dicta, cum febre acuta conjuncta & respectu partium quas occupat, summe utplurimum periculosa. Illa autem hujus morbi species, quæ inflammatorio tumore conspicua tonsillas cum pharyngis musculis ac membranis occupat, a quacumque in humano corpore, inflammationem efficiente causa exorta, hocce imprimis incommodo vel potius periculo stipata est, quod tumor iste elevatus durus ac tensus, præter deglutitionem quam fere præcludit & cum summo dolore deglutienda, retro palatum pulsa, per nares rejicit, jugulares venas comprimendo, sanguinis descensui a facie & capite externo valde resistat, unde in arteriis, correspondentibus coarctatis venis hisce, fortior motus, pulsatio, oculorum dolens rubedo, aurium tinnitus & a tubarum Eustachii inflatione δυσηκοΐα, producitur, quæ symptomata aliquando adeo vehementia deprehendi ut delirium excitarent in ægrotis ejusmodi. Palati velum & lingua, non raro simul inflammatorio ejusmodi tumore afficiuntur, quo morbus periculosissimus redditur, imprimis si linguæ ex atro rubentis ingens crassities totum gulæ spatium adeo repleat, ut deglutitio inde penitus impediatur;

Prunella ab Autoribus quibusdam linguæ talis inflammatio dicitur. In solius pharyngis inflammatione, quæ laryngem minime afficit, respiratio naruralis & parum impedita deprehenditur. Sed & accidit quandoque, pharyngis & laryngis conjuncta simul inflammatio, quæ & ipse vidi in juvene viginti circiter annorum, qui præter fauces & gulam inflammatam, laryngem quoque inflammatione correptam omnimode prodidit, cum de voce acuta & canglosa respiratione valde dolente conquereretur, tertio autem ab invasione atrocissimæ anginæ hujus die suffocatus periit, omnibus incassum adhibitis medicamentis ad morbum hunc cohibendum, quem ab aere frigido, corpori exæstuanti subito admoto contraxerat improvidus juvenis.

Pharyngis itaque inflammatio istam veterum anginam cum tumore dictam constituit, quæ distinguitur ab illa quæ priori longe periculosior absque tumore in larynge & ei continua aspera arteria quandoque sedem nacta deprehenditur. Laryngis in faucibus situs vero depressio conspectum ejus impedit & inflammationem hujus organi oculis nostris præcludit. Artificiosissima ejus ex cartilaginibus, membranis, musculis & vasis composita structura inflammatorium tumorem ut ut exiguum, intuitu respirationis interruptæ, periculosissimum reddit, unde funestam prognosim de ista anginæ specie reddidit Medicinæ rationalis instaurator *Hippocrates* * & qui eum in acuratiori morborum investigatione secuti sunt medici veteres ** æque ac recentiores ***; prior, quæ cum tumore conspicitur, idiopathica plerumque est, posterior autem, absque tumore, symptomatica utplurimum esse solet.

* *Hipp.* in Coac. prænot. N°. 266. in Prognost. cap. 5. ** *Cœl. Aurel.* de acut. morb. l. 3. c. 2. *Cels.* libr. 4. c. 4. &c. *** *Sydenh.* Sect. 1. c. 5. *Mead.* in Monit. p. 92.

Anginæ itaque ſpecies hæc, ubi inflammatio cum acuta febre, in faucibus, pharynge aut larynge ſubſiſtit, præceps quaſi exposcunt auxilium, in ſubita inflammationis reſolutione quærendum; quare larga ſtatim ſanguinis copia, ex vena in brachio vel etiam in collo ſecta educenda, imo repetenda quoque hæc ſanguinis miſſio, ſi morbi atrocitas id exigit, ut cruoris circulantis contra obſtructum preſſio & vaſorum nimia, a ſanguine abundante, expanſio aufferri & illorum in humores obſtructos reactio reſtitui poſſit. Quo facto ſimul per laxantia valida ut & per ſtimulantia clysmata diarrhœa excitanda eſt, ad derivandos humores magis verſus partes inferiores & ad impetum maſſæ fluidæ verſus collivasa reprimendum. Potus eſto infuſum ex ſpeciebus aperitivis, reſolventibus e. gr. ex Radic. Cichor. Gramin. Scorzoner. Taraxac. &c. in quo Nitri portio debita fuerit ſoluta cum Syrupo acidi Citri ad gratum ſaporem permixta, vel etiam ex Aquis diſtillatis convenientibus componenda conveniens potio, cum adjecto Nitro & Syrupo Citri ſubacido. Hisce probe obſervatis, Sanationem egregie promovet vapor humidus, ex herbis & floribus odoriferis nervinis cephalicis, in ægri cubiculo excitatus, quæ aquæ ſuper carbones accenſos bullienti adjiciuntur, quo, per vaporem aqueum, ſubtiliſſimæ odoriferantium particulæ in aere ſuspenſæ, per inspirationem attractæ, partes affectas leviter ſtimulare & vascula obſtructa, ad expellendum infractum contrahere poſſint. *Hippocrates* de *morb. l. 2 c. 9.* jam fumigationem, ex herb. Origani & Semine Naſturtii c. Nitr. in Aqua & Aceto coctis per arundinem hauriendam commendat. Sic panni lanei ſegmenta, Oleo Olivarum & Salis Ammoniaci Spiritu mixtis invicem & calefactis, imbuta, collo ægroti ali-

quoties applicata, ad ſtaſim inflammatoriam reſolvendam optimo cum ſucceſſu adhibui, quoniam vaſa relaxat mixtura hæc & ad obſtructum inflammatorium expellendum ſtimulat. Hac methodo & paucis hujusmodi remediis ægrotis utriusque ſexus (ab angina inflammatoria idiopathica cum tumore correptis, quamplurimis) in ætatis vigore conſtitutis, ſanitatem reddidi, ſed ſtatim ſub morbi initium illos ſuccurrere occaſio mihi data fuit. Aſt ubi nimis tarde accerſitus, inflammationis jam in ſuppurationem vergentis ſigna detexi, gargarismata ex emollientibus in ore frequentius retinere juſſi, & cataplasmata ex emollientibus cum aqua & lacte in pultem coacta, collo exterius admovenda docui, ut puris maturatio quantocius acceleretur, ſed ubi in tonſillis nimia copia collectum pus, illas in tumorem nimium expandit ut deglutitionis æque ac respirationis interruptæ metus ſit, ilico tunc tumorem funeſta minitantem lanceola tecta in diverſis locis pertundere curavi, ut puri exitus facilitetur, poſito etiam, quod illud pus nondum ſatis maturum ſit, tamen liquida in tumore contenta ſic exitum per inciſionem nacta, tumorem collabascere permittent ad deglutitionem cum respiratione ſublevandam. Hisce peractis, emollientibus ſpeciebus, herbas traumaticas ſubadſtringentes, utpote Saniculam, Pyrolam, Alchymillam, conſolidam &c. admiscere & coctione gargarismata inde parare juſſi, quo fauces aſſidue colluenda erant, non neglectis alvum laxantibus medicamentis ad ſuperfluos versus inferiores partes revocandos humores.

Anginæ autem illa ſpecies, quæ absque tumore manifeſto ſaltim oculis minime pervio, laryngem cum annexa aspera arteria & musculos quandoque oſſis hyoidis occupat, hæc cum febre acuta, respiratione parva,

summe dolente, pectore erecto peracta, voce clangosa & acuta cum extrema mentis anxietate se manifestante symptomatica utplurimum deprehenditur; corpus plerumque debile viribus & succis a prægresso vehementiori alio morbo, exhaustum aggredi solet, sanguis tunc spissus, coactus, depravatus, aere frigidiori in hisce locis, per inspirationem assiduo expositus & tactus facillime ibi hærebit & inflammatoriam stasim producet, quo facto, omnia ista nunc recensita phænomena originem ducere posse, artificiosa tenuis hujus organi vocis structura facile permittet; ex quo simul ratio patet cur inflammatio etiam aliis corporis humani partibus minus periculosa, in larynge adeo noxia & funesta existit & intra brevissimum plerumque tempus spretis omnibus artis auxiliis, ægrotum jugulat, cum levior in larynge & ejus glottide tumor respirationem præcludat; sub catarrhi suffocativi nomine a vetulis & ignaris insignito, frequentior morbi hujus funesti exitus ab expertis deprehenditur. Hinc quoque fit, ut angina hæcce lethalis plerumque, cum morbo prægresso, maxime inflammatorio, qui illam efficit, confundatur. Sic funestam deprehendi illam in juvene robusto, qui a dysenteria violenta epidemica præcedente, corpus valde extenuatum monstrabat, cujus vires fractæ minus sufficiebant, ad inflammatoriam hancce, in larynge depositam, metastasim resolvendam. In alio, variolis confluentibus pessimis detento, pus ad vocis organi partes, die vigesimo, delatum, funestam excitabat anginam, remedia quævis antiphlogistica, fomentationes, collutoria & vesicatoria collo imposita eludentem. A Peripneumonia præcedente, exitialem anginam vidi productam in homine robusto quinquagenario, corpore laboribus fracto & sicco gaudente, adhibita quævis contra hunc morbum re-

media, impedire minime potuerunt materiæ morbofæ ad laryngem decubitum, quo fumme dolens cita & anxia refpiratio cum voce clangofa acutiffima, (intra 12 horas orta) fuffocationem infecuturam annunciabant. Unicum adhuc, anginæ hujus funeftæ, exemplum recenfere non fuperfluum fore exiftimo : Miles quidam gregarius, febre catarrhali maligna, fed absque exanthematibus, correptus, medicamentis & regimine debito tractatus, quarta, a morbi ingreffu feptimana, cum mitiora viderentur fymptomata graviora, jam fanatum fere ægrotum judicabat Chirurgus, reftitutionemque ejus Centurioni fuo referebat, fed ilico nuntium affertur ægrum in agone verfari & brevi moriturum; morte ftatim fubfecuta, de toxico ex Chirurgi inadvertentia huic militi porrecto fufpicabatur Centurio, qui cum mihi notus valde & ex amicis meis effet, ad caufam inopinæ mortis detegendam, fectionem cadaveris me præfente inftituendam propofui; annuebat Centurio, & cum fymptomata illa quæ brevi ante obitum apparuere ex Chirurgi relatione percepiffem, ftatim pectus & collum, ad detegendam laryngem cum afpera arteria, incidere curavi, ubi mox afperæ arteriæ fuperior portio inflammationis figna monftrabat, intenfior autem erat rubedo in laryngis mufculis & membranis, præcipue in illis quæ crycoideam obtegebant, fed major inflammatoriæ tumoris gradus apparebat in binis aritenoidæis cartilaginibus, epiglotide, mufculis hyoidei offis, & linguæ radice, adeo ut rima glottidis compreffa penitus & refpiratio intercepta ægrum fuffocaffent.

Angina laryngis idiopathica rarius occurrit, fanavi illam in virgine octodecim circiter annorum, quæ morbum hunc atrocem circa menfis Augafti finem, cum noctem faltando & canendo in horto peregiffet

&

& corpus valde exæstuatum aeri frigidiori subito exposuisset, altero mane statim contraxerat; respirationis & vocis extinguendæ signa aderant, interim methodo & remediis superius de angina pharyngis traditis administratis, inflammatio resolutionem die 5to permisit & ægrota sanitati integræ fuit restituta.

Anginæ præterea *paralyticæ & convulsivæ* ab Autoribus quibusdam fit mentio; priorem scilicet *paralyticam*, videre mihi nunquam contigit, notata jam reperitur apud *Hippocratem* (1), qui a cervicis vertebris intro vergentibus, præsertim a processu dentiformi secundæ vertebræ dislocatio causam deducit; Idem annuere videtur *Celsus* (2) de luxatione capitis; Medullæ spinalis nimirum compressio; hacce dislocatione producta, laryngis, & imprimis pharyngis paralysim efficere necessario debent, unde impedita penitus deglutitio funesta omnino emergit: Nec Aetii cucurbita colli vertebris sæpius affixa, luxationem restituit. Vid. ejus Tetrabl. Serm. 4. c. 47. Sed & ab alia, in sanguinis massa latente causa, musculorum pharyngis resolutio, ad anginam hanc paralyticam constituendam, oriri potest, de qua exempla apud Observatores prostant imprimis apud *Tulpium* (3), *Stalpart van der Wiel* (4) & apud *perillustrem Archiatr. Cæsar. van Swieten* (5), &c. Hujus morbi curatio, si qua locum habet, ex paralysis tractatione petenda. Alteram, nimirum *convulsivam anginam*, in hypochondriacis & hystericis præcipue affectionibus sæpius vidimus, symptomatica ut-

[1] Libr. 2. Epidemicor. it. Sect. 3. aph. 26.
[2[Libr. 8. c. 8.
[3] *Tulp.* Observ. l. 1. c. 42.
[4] *Stalpart.* Obs. Tom. 2. N°. 27.
[5] *Swieten.* Commentar. in Boerhaav, Aphor. 818.

plurimum eſt, quamdiu enim paroxyſmus hyſtericus ſubſiſtit, deglutitio omnis impediri ſolet; idem accidit in Epilepſia detentis; ſed ab horum affectuum eradicatione ſanatio dependet.

De Peripneumonia & Pleuritide.

FEbres acutæ inflammatoriæ frequentiores præ cæteris ſunt illæ quæ pectus & in eo contenta reſpirationis organa afficiunt; cum enim reliquæ viſcerum partiumque inflammationes, a cauſis maxime in ſanguinis maſſa deliteſcentibus originem repetunt; hæcce organorum reſpirationis inflammatio ab aeris diverſa conſtitutione nociva, perpetuo hisce partibus, imprimis pulmonibus applicata, inflammatoriam labem maxime contrahunt, inſuper & reliquæ in cruore latentes inflammationis cauſæ, pulmones quoque magis quam reliquas partes afficere debent, propter integram ſanguinis maſſæ copiam pulmones eo tempore pervadentem, quo determinata ſolummodo portio per reliqua viſcera tranſit.

Inflammatoriam obſtructionem in vaſculis arterioſis minimis ſanguiferis vel etiam ſeroſis formari notum eſt; in pulmonibus autem duo diverſæ arteriarum propagines occurrunt, una in pulmonalis arteriæ finibus, altera vero in arteriæ bronchialis extremitatibus, ſedem figere ſolet, unde duo diſtinctæ inflammationum ſpecies, quarum prior, ob inſignem trunci diametrum & ramorum multitudinem, magis periculoſa eſt quam poſterior, cum arteriæ bronchialis diameter ne quidem quinquageſimam diametri pulmonalis arteriæ partem adæquat. Quando in arterioſis hisce vaſculis globulorum cruoris accumulatio obſtructionem inflammatoriam creat, peripneumonia

vera exoritur; Sin autem feroso-pituitosa congestio vasa hæcce replet & obstruit, tunc peripneumonia notha resultat; quæ distinctio in diagnosi æque ac prognosi probe observata, sanationi hujus morbi lucem affundit.

Signum pathognomicum, quo morbum hunc præsentem agnoscimus, est punctorius ille lateris, in inspiratione se magis manifestans dolor, cum febre plus minus violenta conjunctus. Pulmonum, in statu naturali sano, situs & arcta ubique, ad membranam pectoris cavum cingentem, pleuram dictam, applicatio, doloris sensum in ista portione hujus visceris augere debet, quæ inflammata est, & ope aeris inspirati, versus pleuræ contiguam partem premitur; cum vero pulmonum lobi, anterius sub sterno, ubi mediastinum explicatur, & in parte posteriori ubi spina dorsi descendit, deficiant, illorum læsa & inflammata dolens pars, in uno vel altero pectoris latere solummodo persentiri debet, & cum totus pulmo inflammatoria obstructione premitur, dolor iste pungens circum in utroque latere luctuose satis percipitur; sterno & dorsi spina, quæ pulmo non attingit, exceptis.

Ponamus jam, pulmonis lobum vel partem quemdam hujus visceris inflammatam esse, & consideremus quid accidere necessario debet, cum absque ullo medio interposito, inflammata pulmonis pars, contra pleuræ contiguam portionem firmiter pressa hæreat, nonne idem evenire debet, quod in ophthalmis toties observavimus, nempe quod oculorum bulbi inflammatio, contiguis palpebris interioribus membranis, confestim similem communicet inflammatoriam obstructionem? hoc autem eo facilius fieri poterit, si quis mecum reputat, totius pulmonis parenchyma nil

nisi vasculorum innumerabilium conglomerationem esse, membrana exteriori, quæ pleuræ productio est, coercitam, ubi ab inflammatoria extensa obstructione, attritu & calore, tenera contiguæ pleuræ vascula compressa, exæstuata, simili inflammatoria stasi affici omnino debent; quis autem ex hisce demonstratis, ex structura & functionibus harum partium erutis non percipiet, decantati *Pleuritidis morbi* originem? In pleuræ membrana, pulmone sano & illæso existente, inflammatoriam obstructionem rarissime vel nunquam accidere debere, ejus structura, paucissimis, cruorem rubrum vehentibus arteriis, solummodo pervia, monstrat. Confirmari videtur assertum hocce, illa, cavum abdominis cingens membrana, Peritonæum dicta, cujus structura, pleuræ haud absimilis, inflammationi nunquam per se obnoxia, nisi quam communicatam accipit a viscere contiguo inflammato. Sic peritonæum summe inflammatum vel potius gangrænosum conspexi in hepatitide ab hepatis gangrænosa portione peritonæo adjacente. Præterea ex cadaverum, pleuritide extinctorum, dissectionibus, quibus in & extra Germaniam sæpius interfui, semper ab inflammatoria labe simul corruptos pulmones conspexi, majorem pleura corruptionis gradum exhibentes. Nec sputum illud subcruentum, quod pleuriticis die tertio vel quarto per tussim rejiciendum tribuitur, hunc in modum, sanis & illæsis pulmonibus, excerni poterit.

Pleuritis itaque, seu pleuræ inflammatio, per communicationem orta, inflammatorium suum statum partibus contiguis, musculis nimirum intercostalibus, æque ac continuis, nempe mediastino, a pleuræ duplicatura conflato, ut & cordis involucro pericardio, quod pleuræ quoque productum est, insinuare potest; Et si ima pleuræ pars, quæ diaphragmatis

musculos tegit, inflammatoriam stasim acceptam huc usque propagat, exitiosus ille morbus *Paraphrenitis* introducitur.

Primarias harum inflammationum causas in diversa aeris constitutione quærendas esse, nemo inficias ibit qui sedulo considerat, quod aer, pulmonum vesiculis omni momento applicatus, fluidum sit, in quo suspensa fluctitant omnis generis effluvia non semper salubria, sed sæpe heterogenea valde, & maxime nociva, quæ putrefactæ animalium, vegetabiliumque partes, & aquæ corruptæ, paludosæ, stagnantes spirant, aut sulphureæ arsenicalesque moleculæ, quas fossilium & mineralium vapor elevat. Sic & purissimus, qui concipi potest, vel homogeneus aer, si frigidus valde aut vehementer calidus est inflammatoriam stasim efficere poterit, dum rete vasculosum super pulmonum vesiculas expansum, nunc nimis constringit, aut æstu suo nimium dilatat, præcipue si vento valde motus ejusmodi aer, cursu vel cantu agitata corpora nostra diutius afficit. Præterea inflammationum causas, in fluidis aut solidis partibus corporis existentes habet communes hæcce respirationis organorum inflammatio, imo magis frequentes ob integram, ut dixi, cruoris massam, pulmonum viscus quovis circulo pervadentem.

Inflammationis hujus, ob causas obiter recensitas frequentia, & partium quas in pectore occupat diversitas, Medici scrutinium exactissimum postulant, quo neglecto, nec diagnosis neque prognosis elucescet, & sanatio quomodo instituenda, fallax & dubia semper erit.

Diagnosis ex signis, sub ingressum morbi obviis, petitur; Si punctorius dolor parvum solummodo, & determinatum in uno saltem latere occupat locum, si febris non valde acuta, pulsus satis plenus & regularis

quamvis frequens, & inſpiratio non adeo dolens & laborioſa percipitur, tunc minime in toto pulmonalis arteriæ trunco, ſed in ejus ramo quodam hujusque ſubdiviſionibus, vel etiam in bronchiali arteria hærebit inflammatoria iſta, peripneumoniam ſiſtens obſtructio, quæ minime periculoſa erit, niſi vitæ inconvenienti regimine, aut perverſa medendi methodo, placida morbi phænomena exacerbantur & inflammationis gradus augetur. Quod ſi vero ſubito invadente febrili æſtu vehementiſſimo, poſt brevem prægreſſam horripilationem, dolor iſte pungens & lancinans totum latus ab hypochondrio ad claviculam usque occupat, tunc reſpiratio difficilis, parva, frequens, & tuſſiculoſa, pulſus parvus, depreſſior, & inæqualis, facies rubra valde & quaſi tumida, integros unius lateris pulmonum lobos inflammatoria labe obſeſſos, indicant; quæ dira hæcce phænomena in utroque latere deprehenſa, quo magis vehementiora ſunt, eo magis periculoſiora imo funeſta plane reddunt recenſita ſymptomata, nulla artua ſanabilia, imprimis ſi reſpiratio laborioſiſſima non niſi corpore erecto perfici poterit, ſi pulſus exilis, mollis, interruptus, faciei, oculorum, faucium ſumma rubedo, mentis alienatio cum anxietate ſuffocativa, &c. ſanguinis a capite deſcenſum, & per pulmones obſtructos impeditum circulum ſatis ſuperque monſtrant. Si denique dolor acutiſſimus, lancinans, in pectoris parte anteriori, circa cordis ſcrobiculum dictum, perſentitur, tunc intolerabilis plane inſpiratio, tuſſis perpetua moleſtiſſima, vomendi conatus, hypochondriorum & muſculorum abdominis ſpaſticæ ſtricturæ, cum delirio & riſu ſæpe Sardonico, illam pleuræ partem quæ cum muſculoſis fibris ſeptum transverſum ſeu diaphragma conſtituit inflammatione correptam indicant, qui morbus ob innumera nervorum tortuoſa filamenta æſtu

inflammatorio lacessita, omnium fere acutissimus, Paraphrenitidis nomine venit; ubi non raro simul mediastinum & pericardium, continuæ æque ac diaphragma pleuræ membranæ soboles, inflammatoriam obstructionem communicatam recipiunt, cujus morbi funestissimi exempla bis detecta vidi in cadaverum dissectione viri quadragenarii, & juvenis viginti circiter annos nati, qui ambo post vehementissima symptomata perpessa, convulsionibus dirissimis dilacerati, primus quarto, alter tertio, post morbi ingressum die, obiit.

Sicuti in omni febre acuta inflammatoria, sanatio a sanguinis ex vena secta detractione inchoanda est, itaque in peripneumonia sive pulmonis inflammatione & quam pleuræ contiguæ imprimit pleuritide, ob visceris, quod inflammatio occupat, teneram structuram & ob vitalem maxime functionem quam pulmo potissimum exequitur, cruoris hæcce diminutio tanto magis necessaria reputatur, cum ejus detracta moles pressionem contra obstructa vasa & inflammationem inde productam necessario minuit; sed maxima circumspectione in praxi opus est, quando, quoties, & quousque hæc sanguinis detractio necessaria & proficua esse poterit. Præcipuus venæ sectionis, experientia teste, effectus est, ut pressione cruoris contra obstructum imminuta, vasculis arteriosis nimium distentis, naturalis iterum elastica constrictio restituatur, quæ vasorum actio impactum coagulatum comminuere, dissolvere, movere & fluidum denuo reddere potest, ut propellendo ulterius per venas arteriis continuas, vel retroagendo in vasis conicis versus basim amplioribus, in ratione actionis arteriarum auctæ & pressionis imminutæ, circulo sanguinis reliquo iterum tradi queat: hæc naturæ agentis operatio, uti notum est,

inflammationis resolutio, optimus sane febris inflammatoriæ effectus, nuncupatur.

Experientia autem sæpius reiterata constat, inflammationis optatam resolutionem intra quatriduum peragi & absol videbere, alias febrili motu continuato vel etiam increscente, vasa obstructa tenerrima rumpuntur, & rupta dissoluta cum liquido impacto inflammante miscentur & convertuntur in liquidum illud tenax viscidum, quod pus vocatur, & inflammationis hujusmodi exitus, uti lippis & tonsoribus notum est, *suppuratio* dicitur. Sed accidit quandoque in hoc morbo pulmonum inflammatorio, mixtus quasi *resolutionis & suppurationis* status, quando impactum dissolutum, cum suppurationis incipientis liquido sive pure mixtum, per pulmonalis vel bronchialis arteriæ extremitates intra pulmonum vesiculas exprimitur, & sub specie puris cocti & striis sanguineis permixti per tussim, die morbi tertio vel quarto statim rejicitur, subsequente magis libera respiratione, imminuta febre, & remittente aliquantulum lateris punctorio dolore. Viam hancce ex arteriæ pulmonalis extremitatibus, in pulmonum vesiculas patulam, detexit *Ruyschius*, & experimentis per injectiones in pulmone vituli comprobavit *Halesius* (1). Critica hæcce staseos inflammatoriæ per sputum resolutio, primis statim diebus fieri debet si salutaris existimanda, teste experientia toties reiterata, & confirmatum legimus adsertum hocce apud *Hippocratem* (2) & *Celsum* (3) &c.

Ex hactenus consideratis constat, sanguinis detractionem in peripneumonia, vel cum ea conjuncta

[1] In Hæmastatic. Experiment. 11.
[2] In Coac. prænot. N°. 390. 396. it. de morb. l. 1. c. 6.
[3] Libr. 2. c. 8. p. 70.

pleuritide, ad resolvendam stasim inflammatoriam primis statim diebus fieri debere, alias sanguinis eductio imprimis copiosa, eo tempore instituta, quando materia cocta, antea descripta, per sputum jam evacuari incepit, crisim hanc imminuendo vel penitus supprimendo, morbum funestum reddere vel in phthisim pulmonalem convertere poterit; hujus improvidæ institutæ curationis exempla sæpius occurrunt, quæ, consideratis probe cautelis jam recensitis, a Medico circumspecto evitari facile possunt.

Ut paucis rem complectar, quæ abstrusa in praxi esse videtur, ante omnia monendum existimo, quod Medico provido ad ægrum lateris dolore decumbente accersito, incumbit, sedulo in causas morbi occasionales inquirere, num dolor in latere vagus & expansus, an vel lancinans, pungens, & certo loco determinatus sit, & ex pulsu, calore, & respirationis majori vel minori difficultate gradum febris eruere, num illa acuta inflammatoria sit vel rheumatica pituitosa, in musculis respiratoriis solummodo hærente; neglecta hacce consideratione, errores inde orti in ægroti damnum & Medici opprobrium sæpe cedere solent. Sed omne dubium disparet, quando quis considerat, quod in omni inflammatoria pulmonis vel pleuræ stasi aut obstructione, ubi cruoris globuli in ultimis arteriolis hærentes inter se & ad vasorum latera atteruntur, febriles motus inde excitati longe vehementiores esse debeant quam ubi simplex pituitosa congestio vasa minima distendit; præterea veram pulmonis & pleuræ inflammationem tussicula illa perpetua prodit, a fibrillarum nervearum vellicatione in partibus hisce inflammatis orta. Hæcce hic præmittere necessum duxi, cum ægroto quadragenario aliquando assistere sollicitarer, quem summe asthmaticum & hydropicum re-

peri, postquam rheumatico lateris dextri dolore correptus, Medicastro quodam permisit, ut illi septies larga sanguinis portio quaqua vice educeretur; alium, simili methodo tractatum vidi juvenem, qui febre lenta continua correptus, extenuatum valde corpus sine multa restitutionis spe, languide circumduxit.

Itaque in gravi dolore punctorio unius lateris, ubi respiratio cita laboriosa, pulsus fortis, durus & plenus, æstus notabilis cum tussi perpetua coacta, inflammationem in pulmonis lobo quodam, vel simul in pleura existentem indicat, vena statim secanda, eaque sanguinis copia detrahenda, quam ætas, temperamentum, vitæque genus consuetum permittit; si post primam hancce cruoris evacuationem, pulsus mollior, respiratio magis libera, magisque retusus lateris pungens dolor apparet, tunc resolutionis inflammatoriæ staseos recuperandæ spes affulget; ad motum hunc naturæ subveniendum confert, tenuissimum liquidum calidum ex Hordei, Graminis, Scorzoneræ decocto cum pauxillo Nitro adjecto & Altheæ Syrupo dulcificato, sorbere; sicque salubre valde erit intestina statim clysmatibus evacuare, quo magnus ille vasorum meseraicorum numerus, a fæcum expansione relaxatus, majorem sanguinis copiam recipere, & sic revellendo cruorem versus inferiora, ejus pressionem in pulmonibus minuere & infringere possit; Evacuationem per clysmata proficuam & necessariam judicarunt *Hippocrates* (1) *Aretæus* (2) & alii adhuc e græcis Medicis. Si laxantibus alvus in hunc finem ducenda est, mitiora illa esse debent ne febrem adaugeant; securiora sunt ex illis, Rhabarbarum, Tamarindi, Sal Epson, l. Seignette &c.

[1] De morb. l. 3. Sect. 7. p. 100.
[2] De Cur. morb. acut. l 2. c. 1. Aret. Tetrabibl. II. Serm. 4. cap. 66. & 68.

Quod si vero post primam sanguinis missionem nec lateris dolor, nec spirandi difficultas, nec febris æstus neque reliqua hujus morbi phænomena mitigata adparent, tunc elapsis 10 vel 12 horis, denuo sanguis mittendus, & cum prima sanguis missio mane vel ante meridiem fuerit peracta, versus noctem altera instituenda erit, nocte vero subsequente, cum symptomata minime mitigata, morbum in eodem vigore adhuc constitutum monstrant, tunc tertia vice sanguis educendus, & simul omnis in curatione attentio eo dirigenda, ut per clysmata & laxantia prius memorata alvus aperta maneat & si fieri potest diarrhœa excitetur, quo facto, mea quidem experientia, sæpissime reiterata didici, ulterioribus sanguinis detractionibus non facile opus esse; nam cum hæ, per venas & per alvum institutæ evacuationes sollicite intra biduum fuerint peractæ, tunc tertia die, vel sub quartæ initium, resolutionis inflammatoriæ obstructionis signa, materiæ coctæ, sanguinis striis permixtæ, per sputum rejectio, cum symptomatum levamine apparebunt; quo salutari scopo maxime inservit sapientissime adornata pulmonum structura, quæ vasculis arteriosis ultimis, pressione cruoris obstruentis valde dilatatis exitum in vesiculis hujus visceris concedit, ut in hisce receptaculis, incipientem in puris formam cruoris obstruentis materiam dissolutam segregare, & tussis adminiculo elevare & rejicere possint; Continuata vero ulterius improvida sanguinis eductione, hæcce critica naturæ inflammationis resolutio omnino reprimetur, quæque vero, suppuratione necessario subsequente, in empyema periculosum mutabitur, vel in vomicas latentes convertetur, quæ in pejus mutata morbi hujus conditio parum spei de valetudine integra recuperanda permittet. Resolutionis itaque inflammatoriæ staseos

optima ſigna ſunt ſputa flava, ſtriis cruoris permixta, primis ſtatim diebus rejecta, prægreſſa transpiratione copiosa, & lotii craſſioris profluvio, cum febrilis æſtus, doloris in latere & operoſæ respirationis levamine. confer. Hippocr. de Morb. l. 1. c. 8. &c.

Sed ſi ante quintum morbi diem ſputa jam descripta minime ſuccedunt, tunc febris cum lateris dolore & respirationis anguſtia increscunt, anxietas augetur, ſomnus integre impeditur, alienatio mentis ſuccedit, mox brevi vascula tenerrima inflammata, obstructa, calore & preſſione a ſanguine impingente rumpuntur, & cum obſtruente compacto cruore in pus reſolvuntur, quod intra pulmonum veſiculas collectum, ſacculos & receptacula format, quæ ſub vomicarum appellatione innotuerunt; empyematis nomine autem illa indigitatur puris facti collectio, cum a magna portione, vel integro pulmonum lobo inflammatione correpto, & ſuppurato, visceris hujus tota pars in magma putridum resoluta, intra pleuram, mediaſtinum, pulmones & diaphragma fluctuans, colligitur. Puris hujus, ab inflammatione hunc in modum diſſipata, productio, pungentem quidem lateris dolorem minuit & diſſipat, ſed resorbta mox hujus corruptæ materiei portio, reſiduo ſanguinis circulo admixta, febriles motus vagos denuo excitat, cum pulſu debili, accelerato, undulante utplurimum conjunctos, respiratio manet parva, difficilis, anhelosa & ſtrepens, quam perpetua tuſſis ſicca, moleſtiſſima comitatur, decubitus in lecto in latus affectum ſolummodo ægris conceditur; præterea genarum rubedo, ſudor nocturnus, ſitis cum appetitu proſtrato & debilitate ſumma virium, ſubsequuntur.

In hocce morbi ſtatu, per ſigna recenſita detecto, ſalutis unica ſpes ſupereſt, ut puri, intra pulmonum

vesiculas collecto & ulcus ibidem constituente, exitus mediante tussi & excreatione quantocius paretur, ne ulcerosa acris materies diu retenta & calore acta in visceris ambitu, inflammando & rodendo ulcus successive adaugeat & phthisim pulmonalem necessario constituat, cujus ineluctabilis mali quotidie occurrunt exempla. Sputi salutaris ut & funesti signa accuratius descripsit Hippocr. in Prognostic. Sect. 13. & 14. &c. confer. Coac. prænot. N°. 390. 404. & seqq. it. de Affectionibus §. 8. 9. Ad præcavendum itaque funestum hunc peripneumoniæ exitum, statim atque materiei ulcerosæ tussi crebra inter sputi pituitam simul rapta vestigia conspiciuntur, victus mollissimus ex farinaceis e. gr. Oryza, avena, hordeo excorticatis, cum aqua & lacte in pultem coctis, sic & ex oleribus mollioribus, uti Lactuca, Endivia, Spinachia, Chærefolio &c. in leni carnium jure coctis, exhibendus, potus similis esto ex farinosis vel etiam herbis & radicibus emollientibus, utpote Malva, Althea, Boragine, Scorzonera, Glycirrhiza &c. coquendo vel infundendo cum aqua, paratus. Præterea cum aer inspiratus locum in pulmone affectum assidue tangat, vaporibus emollientibus illum imprægnare multum conducet; Quapropter in cubiculo, quo æger decumbit, emollientes species in aheno vel olla coquendæ ut vapor inde elevatus aeri commisceatur; ego aliquoties evaporationem hanc cum hordeo germinante tosto (quod cum lupulo, pro paranda cerevisia inservit) in cubiculo coctioni eumdem in finem commisso, optimo quandoque cum successu excitavi, nam præter quod hordeum hoc modo præparatum odorem valde gratum spiret, ita & ejus moleculæ, fermentationis actui proximæ, coctione extricatæ, in aere volitantes, relaxatas per aquæ vaporem pulmonum fibrillas, levi

irritatione ſtimulant, contrahunt, & ad puris excusſionem disponunt. Eumdem in finem potiunculam quamdam, leviter pulmones irritantem, in qua Oxymel ſcilliticum baſis eſt, ſæpius hauriendam exhibui, e. gr. ℞. Oxymel. ſcillitici Uncias tres, Aquæ Fœniculi, Hyſſopi & Scabiosæ ſingularum Uncias totidem, Tartari tartarisati ſcrupulos quatuor, Syrupi quinque radicum aperientium Unciam dimidiam. M. ad duo cochlearia ſingulis horis adsumenda. Cautelis hisce probe observatis, rejectionem puris ſuccedentem ſæpius vidi, interim valet effatum Hipp. Omne ſputum ſolvens dolorem, bonum, non ſolvens, malum eſt. in Coac. pnot. N°. 391. Sed obſervari meretur terminus quousque ejus evacuatio promoveri debet; ſtatim enim ac puris excreatio cum tuſſi & febricula minuuntur, respiratio magis libera deprehenditur, nullisque dolor premens in pectore ſentitur emollientia hactenus adminiſtrata omitti debent, ne nimia pulmonum relaxatio hujus visceris functionem, ad vitam adeo neceſſariam, peſſundet; Roborantia itaque ac tonica tunc magis conveniunt, quo ſcopo peculiaris efficaciæ ſequentem remedii compoſitionem ſæpius deprehendi: ℞. Extract. Rad. Pimpinellæ albæ, Cort. Cascarillæ, & Herb. Veronicæ, ſingulorum drachmam unam, Aquæ Veronicæ cum vino per fermentationem paratæ Uncias duas, & Aquæ Hyſſopi Uncias quatuor, misce & ſolve, de qua mixtura, duo cochlearia ſingulis tribus vel quatuor horis aſſumi debent; versus noctem, æger cubitum iturus, hocce pulvere ſi opus eſt utatur: ℞. Corall. rubr. gr. viij. Succin. ppt. Maſtich āā. gr. v. Croci Martis Antimoniati gr. iij. Maſſæ Pilularum de Cynogloſſo gran. j. M. F. Pulv. Potus ſit ſummo mane Aqua Selterana cum tertia vel quarta parte lactis remixta, & de die eadem aqua cui tertia pars vini moſellani admiscetur.

Remanet quandoque pus a peripneumonia productum intra pulmonis lobum qui inflammationem sustinuit, & ibi intra folliculos a vesiculis hujus visceris formatos, colligitur & per longum tempus quandoque asservatur, donec tandem in vomicæ periphæria vascula cruoris compressa, & inflammatione correpta, novum hujus qualemcumque morbi inflammatorii gradum nacta, rumpuntur & in abscessus purulentos convertuntur, qui cum vomicæ veteri pure mixti cum tussi rejiciuntur. Signa latentis vomicæ declarat Hip. in Coac. prænot. N°. 402. it: de Morbis l. 1. c. 8. Si vomica ejusmodi majoris ambitus fuerit, vel duæ aut plures vicinæ in unum folliculum, apostema formantes, collectæ, nova inflammatione in ambitu accedente, aperiuntur, tunc non raro accidit, quod æger, rupto hocce apostematis receptaculo, per pus in nimia copia intra bronchia effusum aerisque ingressum præcludentem, ilico suffocetur, quæ tristia exempla aliquoties vidi & præ reliquis in summo quodam exercitus duce, qui diæta lauta vinosa adsuetus, annum sexagesimum quartum agens, negotiis suis incumbens, de nullo quidem valetudinis incommodo conquerebatur, nocte subito expergefactus, ad domesticos accersendos e lecto prosiliit, sed suffocatus ante adventum cubicularis prope lectum repertus fuit. Ad mortis adeo subitæ causam perquirendam, cum puris, pauco sanguine remixti, vestigia, circa labia & in ore defuncti animadverterem, pectus aperire curavi, & maximam in dextro latere pulmonis portionem, in saccum valde spissum & vacuum excavatum reperi, ex quo pus in magna copia expulsum, in bronchiarum ramis & asperæ arteriæ truncum hærens, aeris inspirandi aditum præcludendo, citissimæ mortis causa exstitit.

In nonnullis pus, in pulmonum vesiculis quasi reconditum & condensatum, denique exsiccatum, ibi scirrhos, minus proprie dictos, constituit. Diu satis ferunt languidam hancce valetudinem ægroti nonnulli, sed tussiculosi, asthmatici & debiles utplurimum reperiuntur; dissecavi nonnullos post mortem, & partem pulmonis affectam, cultro resistentem, cartilagineam quasi offendi. In aliis hæcce puris exsiccati materies, in vesiculis pulmonum distinctis coacervata adeo indurescit, ut sub lapillorum friabilium specie, pisi magnitudinem utplurimum adæquantes, rupta qua coercebantur vesicula, per tussim quandoque rejiciuntur.

Accidit præterea, quod venarum minimarum ultima distributio, per laterales quos recipiunt canaliculos, ab effectu solummodo dignoscendos, ab inflammatione productam materiem purulentam resorbeant & cruoris circulantis massæ iterum admisceant, quæ postmodum per metastasim ad aliam corporis partem delata, per dolorem, obstructionem, aut tumorem inflammatoriam in his locis se prodit; in virgine 16 annorum, quæ menstruum fluxum nondum passa erat, a peripneumonia prægressa, parotides in tumorem valde conspicuum elevatas exhibuit; adpositis maturantibus, ad suppurationem dirigebantur, quibus apertis, pus evacuatum morbi residuum abstulit & ulceris consolidationem concessit. In viro quinquagenario macilento, vita sedentaria adstricto, cui a peripneumonia præcedente pus resorbtum ad hepar delatum, hypochondrii dextri dolorem & icteri vestigia effecerat, corpus extenuatum & a præcedenti morbo exhaustum, tardam solummodo sanationem ad tres menses protractam permisit, quæ denique subsequebatur post usum continuum decoctorum aperientium, & pilularum ex Gummatibus, Sapone, Centaurei minoris Extracto

&

& Aloe rosata confectarum. Ad crura delatum, ibique tumores & ulcera excitans pus, quod *Hippocrates* annotavit, nunquam vidisse mihi contigit; in pulmonibus plerumque sedem figit peripneumoniæ vel pleuritidis hæcce putrida soboles, & febribus lentis hecticis ac phthisi pulmonali, funestis hisce chronicis morbis, omnem plerumque medelam aspernantibus, viam sternere solet, de quibus, sub hoc titulo, quædam adhuc observanda reperientur.

Ex sedula observatione constat quoque, purulentum hocce, a peripneumonia vel a pleuritide productum pus, intra pulmonis parenchyma, vel extra illud, & intra pleuræ productiones collectum, quod sub empyematis nomine venit, si in minori copia in hisce locis fluctuat, resorberi & per excretiones naturales eliminari quandoque posse. Ita se obtulit mihi ægrotus in ætatis vigore constitutus, qui vigesimo secundo die, a peripneumonia correptus, postquam omnia puris super diaphragma effusi signa exhibuit, diarrhœa putrida correptus, a periculoso morbo quod valde rarum est levabatur, emisso simul lotio turbido graveolente, sedimentum furfureum ad vasis fundum deponente. Majori copia collectum & supra diaphragma fluctuans pus, empyema vocatum, perforatione seu paracenthesi educendum indicant Autores; bis operationem hanc, sed absque felici successu institutam vidi, illam vero felici eventu succedere aliquando posse, confirmat experientia in Centurione quodam, ex præsidiariis nostris militibus, instituta, qui in dextro dorsi latere, ad 3 digitorum a vertebris distantia, intra duas superiores costas spurias & pulmonis contiguam partem, percussus fuit; hic a Legionis Chirurgi primario, qui omnem operam in vulnere externo occludendo impendit, pro sanato

annunciabatur ; Sed ſpirandi ſumma difficultas cum maxima virium & functionum reliquarum debilitate, lupum intra ovile occluſum monſtrabant ; accerſitus ægri vulnus in dorſo papula ex carne ſpongioſo tectum deprehendi ; in ſella locatum ægrum, dorſo erecto & brachiis retro actis, eumdem, muſculis & integumentis ſitum dedi ac ille fuit quando vulnus accepit, tunc ſtilo argenteo, carnem ſpongioſam in vulnere propullulantem, levi ictu facile penetrabam, cumque pus occluſum aliquo modo prorumpere viderem, ſtatim lanceola dilatatum vulnus, ſtupendam puris copiam protruſit : ad eluendum penitus & conſolidandum ulcus, injectionem ex herbis traumaticis, in aqua & vino coctis, cum liquamine Myrrhæ remixtam paravi, quater die elota fuit ulceroſa cavitas, & tuſſi ſæpe elevatus liquor injectus & excreatus, certiorem me reddebat vulnus profunde in pulmonis lobum contiguum penetraſſe. Hoc remedio externo, paucisque internis appropriatis medicamentis, & vitæ regimine convenienti obſervato, poſt 9 circiter ſeptimanas, integræ ſanitati reſtitutus fuit poſtea ægrotus, licet per duos circiter menſes ingens empyema intra thoracis cavum aluerat.

Hæcce de Peripneumonia conſueta & ordinaria, ut & de Pleuritide monenda habui, ſed accidit non raro, totum pulmonem, vel maximam hujus viſceris partem corripi funeſto hocce inflammatorio morbo, omne artis auxilium plerumque reſpuente. Indicatur morbi hujus periculoſiſſimi gradus, per ſigna commiſeratione digna ſed auxilio fere deſtituta ; in hoc deplorando ſtatu reſpiratio frequens eſt & laborioſiſſima, tuſſiculoſa, cum intolerabili lateris dolore ſtipata, ut ſuffocationem inſtantem ſubſecuturam minetur, tumidæ faciei rubedo, cum oculis inflammatis fulgentibus horrorem injicit, pulſus præterea mollis, debilis & inæqualis ple-

rumque adparet, cum summa ægri debilitate & animi abjectione, dolor acutus a claviculis ad costas spurias undique se extendit, respiratio anhelosa, frequentissima, non nisi pectore erecto perfici potest; signa reliqua optime tradit *Hippocrates* in Coac. N°. 400. & seqq. sed omnia recensita desperatissimi morbi phænomena sunt, quæ nec minimam fere salutis spem ostendunt, id quod mirari desinet, qui ex structura pulmonum ejusque functione cognovit, totam a corde propulsi cruoris molem, quovis circuitu peracto, pulmones transire debere, arteriarumque aortæ & pulmonalis diametri propemodum æquales, eamdem fere sanguinis copiam, per pulmones eodem tempore pelli, ac per totius corporis vasa reliqua protruditur. Ponamus jam, inflammatoriam obstructionem per totum pulmonem, vel per maximam vasorum ejus partem cruoris circulo obicem possuisse, dimidia tunc vel una tertia totius cruoris portio, intra viscus hocce retinetur, hæc vasa extendendo necessario opprimit, aeris ingressum difficillimum reddit, arteria pulmonis infarcta, sanguini, per cavam & jugulares venas in cor dextrum adventanti, iter ulterius præcludit, nihilque vel parum sinistro cordis ventriculo tradit, unde pulsus debilis & inæqualis, a sanguinis defectu in reliquis corporis arteriis, & ejus stagnatio in venis, maxime jugularibus, ad tumidam faciei & oculorum rubedinem producendam exoritur. Sanguis in pulmonali arteria adeo infarctus, retrogradi, ob valvulas semilunares nequit, quemadmodum in inflammationis resolutione quandoque ab elasticitate arteriarum in aliis corporis partibus accidit, propterea, tot vasorum hujus visceris inevitabilis destructio, citam mortem quarto vel quinto die subsecuturam annunciat, quæ nec venæ sectioni reiterata protrahitur, sed

potius acceleratur, cum cruoris defectus, deficientem liquidi nervei secretionem, pro motu cordis necessariam, producat. Deficientibus sic artis, in hocce morbi gradu extremo, auxiliis fere quibusvis, ubi suffocans respirationis oppressio, cum pulsu molli, interrupto & debili, dimidiam fere cruoris partem compactam in pulmonibus hærentem indicant, Medico ne spectatorem solummodo agere videatur, tentandum adhuc restat, num balneo isto vaporoso humido, superius commendato, primis statim diebus, absque interruptione adhibito, visceris vasa adeo relaxari & cruor infarctus eousque dissolvi possit, ut in pulmonum venulas transire, & in iis collectus, cordis ventriculo sinistro infundi iterum queat.

Accidit quandoque in hoc morbi statu, arteriam a fortissima sanguinis pressione disrumpi & hæmoptysim oriri, quod mihi videre contigit in juvene robustissimo, qui tertio a morbi ingressu die, suffocationis metu correptus e lecto prosiliit, nudus, ab aere frigidiore constrictus, dum corpus valde agitando vires residuas colligit, ut spirare aliquo modo possit; tunc notabilis atri cruoris pars, striis purulentis intertexta, ex vase quodam pulmonis rupto, cum impetu projiciebatur. Cruentum hocce sputum cum pure mixtum postea adhuc per mensem integrum rejiciebatur imminuta tamen ejus quotidie copia, febriles motus toto morbi decursu vix perceptibiles erant, & cibum semper appetere videbatur; vitæ regimine debito adstrictus, infusum herbæ Veronicæ, & Virgæ aureæ cum floribus Bellidis minoris per septimanas aliquot hausit, & horis matutinis lactem cum aquæ Selteranæ tribus partibus remixtum: diæta insuper probe observata ægrotus rheda vel equo quotidie vectus, mo-

tum corpori placidum concedebat, & ſic poſt 3 menſes elapſos ſanitati integræ reſtitutus fuit. Peſſimos autem hujus morbi & ſemper funeſtos vidi effectus, quando pus graveolens fœtidum, tuſſi rejicitur, quo primis ſtatim diebus adparente, moriuntur brevi ejusmodi ægri & diem decimum-quartum vix attingunt. Obſervari interim merentur quæ de ſputi diverſitate in peripneumonia & pleuritide annotavit *Hippocrates* *, quæ diagnoſim æque ac prognoſim horum affectuum egregie expediunt, obſervationes ejus hac de re minime fallaces eſſe, experientia mea toties confirmatas reperi.

Non minorem attentionem, ad diagnoſim hujus morbi, ut & ad prognoſim ejus rite ſtabiliendam, meretur ſanguinis, e vena pleuritici vel peripneumoniaci emiſſi, ſolida conſideratio. Omnibus notum eſt, ſanguinis detractionem in febribus inflammatoriis quibusvis valde neceſſariam, & ad morbos hosce profligandos primarium remedium exiſtere, ſed modum in hisce rebus tenere, negligunt utplurimum juniores Medici æque ac Chirurgi, præjudicio ſcilicet adſtricti, in peripneumonia & pleuritide venam toties ſecandam eſſe quoties inflammatoriæ pelliculæ veſtigium in ſanguine detracto & refrigerato adhuc adpareat; ſed neglecta originis coriacei hujus pellis indagatio, errorem hunc ſine dubio introduxit, qui facile diſſipari poterit, modo animum advertamus, quod ſanguis in genere compoſitus ſit ex globulis rubris ſeu cruore, ex minoribus ſphærulis, ex albo flaveſcentibus ſive ſero & ex lympha vel parte aquoſa; cruoris globulos autem reactione arteriarum & imprimis pulmonum elaſtica ex

* Vid. ejus libr. de Affection. §. 8 & 9. it. Coac. prænot. N°. 390. & 402. usque ad 414. it. Aphor. Sect. 7. §. 16.

feri minoribus globulis compactos esse constat. Considerando jam, quod magna, vel quandoque major cruoris pars, in pulmonis inflammati arteriis obstructa hæreat, quæ visceris hujus actionem in sanguinis massam suspendit, & animadvertendo insimul quod tenuior seri copia, a cruore obstruente per vasa minima secedat, & in pulmonum venis collecta, cordis dextro ventriculo, ad circuitum ulteriorem persequendum tradatur, concludendum tunc non difficile erit, sanguinem ejusmodi, e vena missum, cruoris partem leviorem, superiora vasis petere, & lymphæ aquosæ parte maxima, a febris acutæ æstu dissipata, albuminis ovorum instar (cujus indolis lympha hæc deprehenditur) in pelliculam coire debere, relicta inferius portione imminuta rubri cruoris. Quo sæpius itaque sanguinis nova portio ex secta vena emittitur, eo minor adparebit cruoris pars, & seri pellicula augebitur. Sed residua tunc sanguinis massa mota, ad arteriarum latera sufficienter dilatanda, minus sufficiens existit, quare vasorum horum reactio ad cruorem compingendum adeo impeditur, ut cruoris globuli reliqui, a compacta sua mole secedere permittantur, & in serosas, prioris suæ originis, particulas redeant, harumque copiam & tenacitatem augere deprehendantur.

Innumera sane, erroris hujus funesti exempla detecta quidem habui, sed nulla artis auxilio corrigenda sæpius dolui, imprimis quando ad ægrotos, hoc morbo correptos, quibus sanguis, duodecies & ultra detractus erat, in agone versantes, accersitus fui. Duos saltem robustissimos, in ætatis maximo vigore constitutos, homines, ab acharonte, hac methodo reductos vidi, unus sedecim, alter octodecim vicibus sanguinis detractionem in hoc morbo intra decem vel duodecim

dies passus erat, ambo superstites quidem manserunt & sanitati denique post anni spatium fuere restituti, sed adeo extenuati & a viribus dejecti deprehendebantur, ut totum hocce temporis spatium vix sufficeret, recuperando mediocri sanitati statu, ad officia illorum subeunda necessario. Ubi præterea parva solummodo pulmonum & pleuræ contiguæ portio, obstructione inflammatoria laborat, sanguis prima vice e vena missus inflammatoriam illam crustam ostendet, quæ reiteratis tamen missionibus, ob rationes antea adductas, necessario adparere, & Medicos inexpertos, ad ulteriores sanguinis evacuationes incitare solet.

Sanguinis itaque in peripneumonia detrahendi copiam, minime ista adparens pellicula, sed symptomatum vehementia determinare debet; ingens enim febris acutæ gradus, summa respirandi difficultas, cum lateris dolore acuto & tussi violenta conjunctis, sanguinis missionem citam & brevi repetendam indicant. Symptomatum postea qualiscumque mitigatio, cruoris educendi copiam decernere debet, habitu simul constitutionis, temperamenti, ætatis & vitæ generis ægri ratione, ut & pungentis doloris ambitu & vehementia. Quod si post tertiam vel quartam, intra triduum, sanguinis detractionem, nulla symptomatum remissio subsequitur, ulterior sanguinis ablatio perniciosa magis quam utilis est, quippe iste inflammationis gradus tunc indicatur, ubi totus pulmo, vel maxima ejus pars, cruoris rubri maximam partem infarctam tenet, cujus dissolutio, per sanguinis residui detractionem nimiam, motum cordis debilitantem, impeditur magis, ut antea demonstravi, quam promovetur; Si vero minor pulmonum portio solummodo inflammationem patitur, tunc necessario quæ post diem quar-

tam inflammatoriæ ſtaſeos reſolutio expectanda erat, per nimiam ſanguinis ablationem ſupprimitur, & morbi critica per ſputum ſolutio, præpeditur; turbata autem criſi hacce, per hanc inadvertentiam, cruor obſtructus retentus, ſubſequentibus poſt quartam diebus in pus convertitur, ulcera pulmonum excitat, & tunc ſæpe nimis tarde, ſub ſpecie purulenti fœtidi & funeſti ſputi, nulla arte corrigendi, rejicitur & ægrotum intra 14 dies ſuffocat, teſte *Hippocrate* in Coac. prænot. N°. 392.

Præterea evacuatio ſanguinis nimia, nullius emolumenti in hoc morbo erit, ſi ille prima vice extractus, pellicula tenui cæruleſcente, cum molli, gelatinoſo, viridi, coagulo ſubtus conſpicuo, tectus deprehenditur, aut lividam rubeſcentem cruoris hinc inde diſſolutam vappam oſtendit, ambo vehementem ſanguinis acrimoniam maxime alcaleſcentem indicant, ſed morbi hujus acuti, ſubita determinatio, ad ſanguinē ejusmodi corrigendum ægrumque ſalvandum tempus minime concedit; interea cruoris hæcce vitioſa conſtitutio, minime apta erit ad ſputum illud laudabile criticum, quo morbus hisce ſolvitur, performandum. Majorem vero detractionem per venam ſectam concedere videtur, ſanguis iſte floridus, rubedinis exaltatæ & homogenei coloris, qui absque lympha ſecedente in peripneumonia quandoque cernitur, ſed cum notabilem acrimoniam volatilem prodit, & ad putridam corruptionem disponit, ſpem ſanationis, ob cauſas jam allegatas, fallit, in ægrotis ejusmodi qui hujus indolis vitale liquidum nimis diſſolutum exhibent.

Cruoris hæcce diverſa in peripneumonia & pleuritide obſervata phænomena minime aſpernanda fore

existimo, cum prognosi horum affectuum eruendæ, & medelæ instituendæ lucem affundant. Sic ex pelliculæ inflammatoriæ, antea memoratæ, phænomeno, ratio reddi posse videtur, cur a peripneumonia defunctorum, in dextris eorum cordis ventriculis adeo frequenter concretiones istæ spongiosæ carneæ, quas polypos vocant, post mortem repeRiuntur, qui totum fere hujus ventriculi spatium quandoque occupant, & in arteriæ pulmonalis trunco ejusque primis divisionibus, ad decem & ultra pollices exporrecti non raro extenduntur. Polyposas ejusmodi coagmentationes in dissectis, hoc morbo, extinctis cadaveribus, sæpius vidi, imprimis anno hujus seculi vigesimo-quinto, cum Potsdami, peripneumonia epidemica valde grassaretur, qua multi ex prætorianis militibus corporis proceritate & staturæ elegantia, undique notissimi, morbo truculento succumbebant: jussu Regis accersitus ut Medicis præsentibus ad morbum hunc funestum profligandum auxilium ferrem, dolens & mœrens, paucorum dierum spatio fere omnes hoc morbo correptos, vidi extinctos, nec sanguinis stillicidium ex nare morbum levabat &c. nonnulli quarto vel quinto, alii septimo die, pauci nono, sub durissimis aeris præclusi torminibus exspirabant. Mortuorum omnium cadavera jussu Regis incisa, pulmonum lobos, inflammato cruore obstructos & quasi farcitos exhibebant, ex atro purpurens, hinc inde lividus, cærulescens hujus visceris color, adstantibus horrorem injiciebat, præcipue cum ex fissuris scalpello factis, atrum cruorem corruptum, ichore fœtido mixtum, propullulare conspicerent. In omnibus, dissectus cordis dexter ventriculus, ex albo flavescentem carneam concretionem polyposam, in pulmonalis arteriæ truncum diu exporrectam monstra-

bat. Relatum fuerat Regi, concretionem hancce morbi mortisque causam esse, sed effectum cum causa commutasse, cuilibet artis perito facile innotescere debuit, nimirum cor sanguinem necessarium, in pulmonem obstructum, per ejus arteriam propellere nequit, sed portionem quamdam, quamvis exiguam, retinere, ejus dexter ventriculus cogitur; sanguinis autem massa huc appulsa, ob cruoris sive partis rubræ in pulmone hærentis jacturam, tota fere serosa tunc existens, febrile æstu summe agitata, facile coagulabilis seu concrescens reperitur, & propter impeditum per pulmonum arterias circulum, cordis constrictioni resistentem, ex parte retinetur, & successive coacervatur, motu cordis autem, & febrilis excessivo caloris gradu, in massam quodammodo solidam compingitur, & in volumine aucta concretio hæcce, totum cordis ventriculi cavum successive replens, sub polypi cordis nomine nota, motum hujus visceris sistit ac vitam denique extinguit. Tota hæcce inflammati sanguinis serosa portio, simulatque motu circulatorio privata e vena extracta in vase excepta relinquitur, in pelliculam istam inflammatoriam satis notam concrescit, priori cordis polypo, ab eadem causa orto, æmulam. Peripneumonia hæcce epidemica, sanguinis frequenti & nimia detractione magis funesta reddita sed mox cohibita fuit, posthabitis nimirum ejusmodi evacuationibus nimiis, methodo antea memorata, placida, ad morbum hunc profligandum applicata, favente simul veris propitia tempestate, brevi denique cessabat, subsistente quodammodo adhuc præjudicio a Chirurgis audacioribus divulgato, ægrotos eo tempore omnes, insanabili cordis polypo fuisse extinctos.

Cæterum medicamenta ista topica, lateri dolenti

in pleuritide applicanda, & ab *Aretæo* (1), *Aegineta* (2), *Tralliano* (3), *Celos* (4), &c. valde commendata, exigui usus esse deprehendi, pinguia vel nimis acria sunt, poros cutis obstruunt, vel acri stimulo dolorem augent. Unicum reperi aliquo modo proficuum, nempe molle linteum camphoræ frustulo strenue perfricatum, quod complicatum aliquoties loco dolenti imponitur, ubi camphoræ effluvia subtilissima intra cutis poros recepta, ad stasim inflammatoriam discutiendam aliquid conferre possunt.

De Peripneumonia Notha.

SANGUINIS massam, pituita tenaci, frigida onustam in pulmonalium vasorum angustiis facillime hærere, coagulari & obstructionem parare posse, pulmonis structura & indoles permittit & quotidiana experientia hoc ipsum confirmat. A veteribus Medicis sub catarrhosis affectibus morbus hic comprehenditur, interim notari merentur, quæ *Hippocrates* (5) & *Aëtius* (6) de pituitoso hocce morbo monent, accuratius autem illum tradidit *Sydenhamus*, Sect. 6. c. 4. Hyeme autem adpropinquante, & in ejus decursu, maxime circa ejus exitum & Vere incipiente, grassari solet peripneumonia hæcce notha, senesque utplurimum corripi lenta pituita gravatos, gravedine vel coryza obnoxios vel etiam obesi corporis habitu dotatos viros, diæta vinosa & liquoribus fortioribus in copia haurien-

[1] De Cur. morb. acut l. c. 10.
[2] De re medic. l. 3. c. 30.
[3] De art. med. l. 6. c. 1.
[4] De Medicina l, 4. c. 6. &c.
[5] De Salubri victus rat. §. 15.
[6] Tetrabibl. 2. Serm. 4. c. ult.

dis imprimis adsuetos. Nimirum hyemali tempore, perspiratione insensibili imminuta valde & suppressa, corporisque motu debito suspenso, humoris lentescentis copia in cruoris massa remanet, quæ Pituitæ generandæ fomitem præbet & formatam accumulat; accedente jam causa quacumque, qua sanguis in motum cietur, pituita tenax dimota & valide propulsa in pulmonum vasis minimis, ideo facilius & frequentius hærebit, cum aer inspiratus frigidus, vasa hujus visceris constringendo, lentorem pituitæ adaugeat & transitum ejus per constricta vasa impediat. Talis obstructio peripneumoniæ nothæ causam proximam efficit, & suffocatione subita quandoque ægrum vix ægrotare se percipientem, jugulat & e medio tollit; cujus subitaneæ mortis exemplum me vidisse recordor, in sexagenario viro, qui hyemali tempestate, flante vento adverso, boreali humido frigido, vectus equo, versus noctem domi reversus, statim pectoris oppressione vehementi correptus, hora matutina tertia suffocatus fuit, antequam nec minimo artis adminiculo succurri potuerit excepta venæ sectione tarda, ægro jam exspirato administrata.

Sicuti in peripneumonia vera, cruoris rubri portio, in pulmonali arteria stasim accumulat inflammatoriam, ita in spuria seu notha peripneumonia serum tenax pituitosum in hisce vasis coacervatum detegitur; effectus autem ut & symptomatum differentia, in utroque hoc morbo, a diversa liquidi obstruentis indole pendet; etenim in vera peripneumonia cruoris globulorum vehemens attritus, æstum semper validum, qui febris acutæ comes est, producit; in hac notha autem frigidior & lentescens pituita obstructionem in pulmone sanguinis circuitum impedientem, absque violentiori tamen in febris gradu efficit, qui

aliquando adeo moderatus deprehenditur, ut pulsus a naturali parum recedat, interim respiratio cita & laboriosa, cum vehementiori conjuncta tussi, eamdem fere ac in peripneumonia vera molestiam creant. Tussis autem frequentioris præsentia utramque hanc peripneumoniam, ab isto laterum satis vehemente quandoque dolore distinguit, quem rheumatica sæpe sanguinis pituitosi congestio in pectoris musculis, respirationi inservientibus efficit, ab incautis pro peripneumonia, vel pro pleuritide spuria insignita, quæ tamen nulla tussis violentia ægrum infestare solet.

Pituitæ lentescentis in pulmonum vasis infarctus, cum illorum vim contrahentem impediat, sanguinisque motui in hoc viscere impedimento sit, omnino indicat ut sanguinis aliqua portio (ex secta vena educatur) ad molem liquidi per pulmonem movendi minuendam, sicque levatus aliquantulum pulmo, in residuum impactum, elastica suorum vasorum vi, liberius agere, & viscidum tenax, ope diluentium in copia hauriendorum dissolvere, & ulterius propellere possit. Cum vero cordis robur & sanguinis vigor valde necessaria simul sint (ad viscidum compactum dissolvendum) ideo moderata solummodo sanguinis detractio requiritur, nec repetenda promiscue, quo lentor plus incrementi certe caperet ex imminuta nimium cruoris copia. Errorem hunc committunt hi, qui credunt respirationis molestiam allevatam iri sanguinis valida & repetita detractione, sed irreparabili ægrotantium damno experimenta ejusmodi peracta vidi. Meliori successu pituitæ detractio per alvum suscipitur, derivando nimirum versus abdomen & meseraica vasa humorum circuitum, quo pulmonum vasa evacuationem pati simulque respirationem allevari experientia comprobatur. Quare Clysmata emollientia & leniter sti-

mulantia, e. gr. ex decocto herb. Parietar. & Veron. Nitro & Melle quotidie injicienda ſunt, ut levis diarhœa excitetur, quæ ſi non ſufficienter ſuccedit, potiuncula laxans ex Rhabarbaro, Senna atque Manna in ſubſidium vocanda, nec ab hacce per alvum evacuatione deſiſtendum, donec ſuffocationem portendens reſpirationis moleſtia fuerit profligata. Ulterior ſanguinis verſus partes corporis inferiores derivatio, promovetur prediluviis ex furfure & cineribus conflatis, imo, ſi malum pertinax, veſicatorio emplaſtro, ſuris imponendo. Præterea ad diſſolvendam æque ac diluendam pituitæ viſciditatem infuſum hocce convenit. Recipe Rad. Graminis, Fœniculi, Ari & Saſſaparillæ ana unci j. Caſſiæ ligneæ ſemi-unci Conciſa miſce & quantum cochlear capere poteſt infunde aquæ bullienti, theiforme hocce infuſum Melle Pruſſico vel Narbonenſi edulcorandum, bis vel ter de die, ad 8 vel 16 Uncias quaqua vice adſumitur; Incidendi hujus remedii vis augetur pulvere ſequenti; Recipe. Lapid. Cancror. cum Citri ſucco ſaturat. Antimon. diaphoret. Nitri depurati, & Tartari vitriolati ana quantum vis, miſc. fiat pulvis, de quo drachma dimidia mane & veſperi deglutienda; nutriatur æger jure carnium tenui, quod gratius palato redditur ſi acidi Citri guttulæ aliquot admiſcentur. Hacce methodo, paucisque hiſce remediis peripneumoniam ejusmodi notham feliciter profligavi, præcipue Anno 1738, menſe imprimis Martio & Aprili, quando morbus hic epidemice pene multos invadebat, e quibus non pauci, Chirurgorum conſultis inhærentes, venæ ſectione nimium repetita, vitam cum ſanguine effuderunt.

DE TABE SEU PHTHISI

Pulmonali, reliquisque Febribus lentis hecticis.

SECTIO VIII.

A Peripneumonia in sectione præcedenti considerata, exoritur sæpe morbus ille funestus, qui phtiseos pulmonalis nomine insignitur, & omne artis auxilium penitus fere eludere solet; Nimirum si cruoris in pulmone obstructionis inflammatoriæ resolutio non succedit, sed in pus cum obstructis vasculis convertitur, porro, si pus hoc in bronchiis collectum per tussim non ilico rejicitur, sed remanens, abscessum seu ulcus format & constituit, vel si denique a prægressa hujus visceris inflammatione, multa parva ulcuscula, tecta a bronchiorum vesiculis, receptacula nacta, sub vomicarum nomine cognita, efformata ibi subsistunt; ulcuscula hæc cum prioribus a chylo vel nutritivo sanguinis liquido præterlabente augmentum sensim capiunt, horum autem ulcerum productiones quocumque demum modo existunt, non possunt quin ichoris corruptæ portionem, vicinis resorbentibus venulis successive committant, quæ postea ulcerosa materies, cruoris circulo admixta, acrimoniam in vitali hocce liquido sensim efficit & auget, qua vasorum æque ac nervorum fibrillæ irritatæ, majorem & frequentiorem oscillationem, sicque sanguinis citiorem propulsionem producere coguntur, inde pulsus ali-

quo modo acceleratur, calor naturalis augetur & inſenſibilis perſpiratio in levem ſudorem convertitur, introducta ſimul tuſſicula ſicca, ab eodem acri puris ſtimulo, fibrillas pulmonalium vaſorum irritante, exorto, hæcce febris iſtius lentæ idea eſt, quæ phthiſim pulmonalem antecedere ſolet.

Sed in hoc ſtatu febris hæcce lenta non diu permanere ſolet, nam quo diutius ulcera in viſcere hoc ſubſiſtunt, eo magis in ambitu partes adhuc ſanæ depaſcuntur, pus accumulatur, major ejus portio ſanguini admiſcetur, & ſic ſymptomata antea recenſita pejora redduntur, nam febris intenditur, ſudor augetur, nutritio debilitatur, habitus corporis perit, functiones corporis infringuntur, tuſſis increſſit, eſculenta quamvis avide adſumpta, in nutrimentum non cedunt & ſitis crebriori potu, minime extinguitur.

Sed & ab alia ſatis fertili cauſa, quam a peripneumonia præcedente, phtiſis hæcce pulmonalis originem trahere ſolet; offendimus nimirum ſæpius ejuſmodi habitus corporis vel temperiei texturam in juvenibus nonnullis, ubi cutis tenera, mollis, candida, colore roſeo amœno in facie interſperſa, tenella cruoris vaſcula tegit, totiuſque corporis & viſcerum compagem, tenuem & delicatam prodit; quæ corporis conſtitutio hæreditaria utplurimum eſt, a parentibus congenita: augetur hæcce morboſa diſpoſitio a vitæ debito regimine neglecto, cum cibo acri, aromatico, ſalino, & potu ſpirituoſo nimio, corporiſque motu excedente, ſanguis ubique exæſtuatur, quando excretiones conſuetæ, uti hæmorrhagia narium &c. vel artificioſæ evacuationes uti Venæ Sectio, laxationes &c. ſupprimuntur, ſanguinem hujus temperamenti juvenes exhibent coccineum, valde rutilum, diſſolutum acrem, non cito concreſcentem & ſerum pauciſſimum in excipulo

pulo dimittentem, præterea, quoad mentis dotes, animi hilaritatem, & ingenii præcocitatem postendere solent. Sanguine hujusmodi indolis, præditi juvenes, ob viscerum chylopoeiorum debilitatem, alimenta in sani cruoris naturam debite convertere nequeunt, quapropter obstructiones in vasis pulmonum minimis existunt, quas febricula levis, cum tussi sicca & genarum rubore, imprimis post cibos sumptos, indicant; obstructus hic hærens cruor, tenerrima, hujus visceris debilitati vasa, ob acrimoniam suam rodendo successive dissolvit, & sanguini presso exitum præbet, qui tussi elevatus cum impetu sæpe ejicitur & hæmoptysim sive sanguinis sputum excitat; quique si non totus per tussim expellitur, sed ejus portio quædam in bronchiorum vesiculis collecta remanet & coacervatur, mox dissolutionem putridam patitur, partes vicinas corrodendo destruit & ulcus pulmonum constituit, eademque symptomata producit, ac ulcera illa, a peripneumonia relicta, & antea recensita, efficere solent.

Quocumque demum modo, vel ab inflammatione, vel a sanguinis sputo aut hæmoptysi productæ sint exulcerationes omnes, pessimæ indolis sunt & sanationem, propter perpetuum hujus visceris in respiratione motum, omnium difficillime admittunt, ob deficientem scilicet quietum partium solidarum situm, quem consolidatio omnino postulat. Serpente autem ulterius ulcerosa hocce corruptione, omnia successive in pejus ruunt, pulmonum unus vel alter lobus integre in putridum ichorem dissolvitur, qui vel sacco, ex pulmonum involucris formato, collectus, forma puris fœtidi per tussim continuo rejicitur, vel sacculo hocce rupto, in pectoris cavum super diaphragma effunditur & funestum empyema constituit, tuncque

O

vasa pulmonum majora, lateris illius ulcerosam corruptionem perpessi, in glomerem quasi convoluta post mortem sæpe reperiuntur, fluctuante super diaphragmate putrido empyematis ichore. Ceterum symptomata, tristem hujus morbi gradum concomitantia, & se mutuo excipientia, præcipua sunt: tussis perpetua, respiratio difficillima; copiosa puris & suffocationem sæpe minitans excreatio, totius chyli & sanguinis in pus fœtidum, viridescens aut cinereum conversio, functionum omnium summa debilitatio, hæcticæ febris, quæ pulsu parvo & debili se prodit, extremus gradus, cum vehementi, maxime circa vesperam febrili anxietate conjunctus, unde sudor nocturnus abundantissimus se subducere solet, succedente œdematosa molli pedum, quandoque & manuum inflatione cum diarrhœa simul purulenta fœtida; capillorum defluvium, & post summam corporis extenuationem, viriumque prostrationem, denique exoptata mors symptomatum gravissimorum agmen claudit, &c.

De pulmonum exulcerata corruptione, a peripneumonia prægressa originem trahente, superius jam egi, & quæ ex praxi cognita mihi fuerunt monui. Pauca nunc addam de altero exulcerationis, seu phthisi pulmonum statu, quæ a sanguinis sputo aut hæmoptysi præcedente fuit introducta. Sanatio hujus morbi pendet a causarum antecedentium subita remotione: principiis itaque obstare debemus priusquam malum per longas moras nimium invaluit & profundiora jam ulcera in hoc viscere efformavit. Causæ phthisim hancce antecedentes, uti notum est, primariæ sunt: ætas juvenilis ab anno 18 ad 36, vid. *Hip.* Coac. prænotion. No. 439. porro hæreditaria congenita ad hunc morbum dispositio, & tenera corporis textura cum va-

forum ac viſcerum vigore debili vel ſaltem mediocri, ſanguis præterea nimium diſſolutus, tenuis, acer, iſtam hominis temperiem conſtituens, quæ ingenium perſpicax & vividum exhibet, &c. Hæ cauſæ remotæ duplicem, in corporibus hujusmodi, defectum manifeſtant, vaſorum ſcilicet & viſcerum teneritudinem & ſanguinis tenuioris, acris & nimium diſſoluti nocivum indolem; accedente jam cauſa quacumque proxima, qua ſanguis hic tenuis, acer, & ex ſoluta cohæſione valde mobilis cum impetu, imprimis ſæpe reiterato in debilioris texturæ vaſa & viſcera irruit ac propellitur, & vaſorum viſcerumque reſiſtentiam nimis debilem ſuperat, tunc vaſis cujusdam diſſolutionem aut rupturam, in teneriori pulmonum imprimis viſcere ſubſecuturam, nemini mirum videbitur, qui quotidiana experientia edoctus obſervat, hæmoptyſim ſanguinisque ſputa in prædiſpoſitis ejuſmodi corporibus eo magis erumpere, quo frequentius motum cruoris ſupra modum intendunt; hoc fit plerumque nimio corporis exercitio, ejusque ingenti nixu, tuſſi vehemente, clamore valido, vel in diætæ male obſervato regimine, quando nimirum potu vini ſuperfluo aut liquoribus ſpirituoſis nimium indulgent, vel animi affectuum impetu ſuccumbunt, &c. quæ cauſæ proximæ magis exacerbari ſolent, cum ab evacuationibus naturalibus, utpote narium hæmorrhagia, vel artificialibus. Venæ ſectione nimirum aut ſcarificatione conſuetis, neglectis, plethora exorta, debiliora vaſa nimium jam extenderit.

Ex allegatis hisce cauſis remotis omnibus, hæmoptyſes vel ſputa cruenta producta obſervavi, omnesque fere hoc morbo correptos, qui præſcripto vitæ regimine debito auſcultarunt, ſanitati reſtitutos vidi;

quod tamen ſtrenuum vitæ regimen, ad hæmoptyſim refrenandam & ſanguinis diſſoluti indolem corrigendam, parteſque ſolidas roborandas, haud breve temporis ſpatium exigit. Sanguinis interim floridi e pulmone impetuoſa eruptio, moderamen præſentaneum poſtulat; quo ſcopo, ad fluidum hocce vitale verſus inferiora derivandum, pedes aquæ parum tepenti immittendæ, venaque in iis pertundenda, ut ſanguinis ſufficiens pondus, temperiei & conſtitutioni ægrotantis reſpondens, detrahi poſſit; quam quidem evacuationem bis vel ter aliquando repetere, ob plethoram nimiamque cruoris turgeſcentiam, coactus fui. Ad impetuoſam turgeſcentem hanc expanſionem compeſcendam, ſtatim poſt venæ ſectionem. Nitrum cum abſorbente quodam mixto exhibui, e. gr. recipe Nitri depurati gr. vij. Lapidum Cancrorum vel Concharum ſine igne præparatarum Scrupuli dimidium, Cinabaris grana iij. M. Pilularum de Cynogloſſo granum j. l. ij. Miſce. Hujus pulveris doſes tres vel quatuor nycthemeri ſpatio deglutiendas dedi, quo remedio non obſtante, ſi nova ſanguinis eruptio inſequitur, vena iterum aperienda & pulveri præcedenti, grana tria croci martis antimoniati, admiſcere juſſi, & in hæmoptyſi nimium aliquando rebelli, Electuarium ſequens pulveribus interpolandum obtuli. R. Conſerv. Roſar. r. unci j. Extract. Rad. Tormentil. ſem. drag. Pulv. Cort. Caſcar. drag. & ſem. Coral. r. ſcrup. iv. Suc. drag. j. Myrrh. ſcrup. ij. M. F. c. Syrup. Diacod. Electuar. debitæ conſiſtentiæ, de quo bis vel ter de die & ultra, ad nucis avellanæ magnitudinem portio adſumenda eſt. Præterea primis morbi diebus æger in cubiculo, parum calefacto, detinendus, nec ſtragulis calefacientibus obruendus; de cibo nihil capiat præter debile & tepidum ſolummodo carnis vitulinæ & gallinacei pulli decoctum, & potus

omnis sit lac cum duabus aquæ partibus remixtum: tranquille sedeat in lecto vel in sella, nec pulmonem loquendo commoveat, vitando desuper sedulo omnem corporis & animi agitationem; si alvus non respondet, clysmate potius quam laxante solvenda est. Hac methodo, in ægrotis morigeris scopum meum, in morbo hoc profligando attigi, & sanguinem sæpius ter, rarissime quarta vice detrahere coactus fui: cohibita sic sanguinis eruptione, nempe cum post dies aliquot nullum ejus vestigium in sputo amplius adpareat, victu refrigerante levissimo continuato, & pro potu aquam cum tertia vel quarta parte vini permixtam exhibito, ad cruoris nimis dissoluti consistentiam augendam, solidas partesque roborandas, remedium ex corticis peruviani maxima parte conflatum hunc in modum præparare curavi. Recipe. Extract. gummos. cort. Peruv. opt. drag. ij. Extr. Cort. Cascarill. c. aqua & Herb. Millefol. ana drag. j. Soluta in Aqu. Plantag. & Hyssop. ana unci. ij. M. de qua Mixtura, uncia dimidia, bis vel ter de die in aqua communi sumenda, & versus noctem pulvis antea descriptus, deglutiendus est. Dum hæc peraguntur, moderata convenit ambulatio, necnon equitatio lenta vel in curru vectio, quem corporis motum tamen ad sudoris eruptionem usque excitare minime convenit, cum hacce sanguinis agitatione denuo introducta, hæmoptysis recrudescere facillime possit, quæ imposterum venæ sectione præcavenda erit, si successu temporis nova cruoris in pectore accumulatio percipitur.

Neglecta autem recenti hæmoptoes sanatione jam tradita, si turgescens cruor ex vase rupto, sensim iterumque emanare non cohibetur, ejus portio in bronchiorum vesiculis collecta, corruptionem contrahit,

putrescit, ulcusque successive formando, phthisim pulmonalem antea indigitatam denique constituit; ulceris autem hujus, licet incipientis, sanationem difficillimam esse, testari possunt ii, quibus morbi hujus adeo vacillantis curatio committitur; Hæmoptoen in phthisim pulmonalem incipientem degeneratam, produnt imprimis dyspnoea sensim exorta, tussicula in initio sicca, paulo post pituitoso purulenta, sitis frequens cum febre lenta hectica subsequente, quæ post pastum augetur & ruborem genarum splendentem producit. In hoc morbi statu adstringentia superius commendata minime conveniunt, & peruvianus cortex adhibitus, magis nocet quam prodest; ulceris autem consolidationem impedit reciproca pulmonis dilatatio, & constrictio per respirationis negotium penitus plane inevitabilis, quo fit ut novo semper liquido ex vasis ruptis irrigetur ulcus; cujus tamen abstersionem & exsiccationem licet difficillime peragi posse, (modo vitæ regimini debito stricte observando, morem gerat æger) nonnunquam expertus sum. Sed non confundenda est hæcce puris rejectio, cum excreatione materiæ illius pituitosæ, ob flavescentem colorem pus quandoque imitante, quam sæpius producit catarrhalis pituitosa febris at peripneumonia notha, de hujus materiei exsiccatione ignari sæpius jactitant se tabem pulmonalem sanasse. Considerando itaque in hoc morbi statu collectum pus in pulmonum ulcere aperto hærere, humorum inevitabili affluxu purulentam corruptionem in dies augeri, & per resorbentes venulas sanguinis massæ misceri, hoc autem, temporis successu, integre corrumpi debere, (id quod in ultimo hujus morbi stadio, magna illa, puris fœtidi per tussim rejecta copia abunde monstrat) idcirco in curatione hujus periculosi morbi primaria medentium intentio eo dirigen-

da, ut quantocius funesta hæcce præcaveatur, vel ad minimum diminuatur humorum corruptio; in hoc perficiendo omnem operam, ab omni tempore impenderunt celebres Medici, nimirum quisque pro suo ingenii aut experientiæ modulo. Animalium, gramine vel herbis viventium lac, cum pars ejus lymphatica acescendo putredini resistat, oleosa pinguis vero, nutrimentum præbeat, præcipuum in illo, phtisicorum solatium reperiendum esse existimatur. Cautelas circa ejus usum observandas exhibent *Hippocrates* (1) & *Celsus* (2). Cujus autem animalis lac, phthisicis præcipue conveniat, differunt inter se medentes; præferunt nonnulli asininum lac, ab *Hipp.* jam comendatum de affect. intern. Sect. XI. & hoc merito, cum minus nutriat, magis tamen calorem temperet, quoniam vero illud ubique comparari non potest, caprinum aut vaccinum adhibendum est. Ne autem lactis hujus lenta & pinguis consistentia, nimium jam debilitata pulmonum vascula infarciendo suffocet, sicque obstructionem hujus visceris corrumpentem adaugeat, necessarium fore existimo, illud aqua pura, vel Hordei aut Radicis Graminis decocto diluendo, subtile magis & fluidum reddere, priusquam ægrotis porrigendum sit, aut *Hippocratis* jussu, tertia parte aquæ mulsæ permixtum: de internis affect. Sect. XI. Alii lactis butyraceam & caseosam pinguedinem, coquendo, & cum acido vegetabili aliquo præcipitando aufferunt, & in lactis serum dictum convertunt, quod acida indole sua putredini humorum egregie resistit, sed tunc corpori in nutrimentum secedere nequit; sic ac artificiale, emulsio dicta, convenit quandoque ex nu-

[1] Sect. 5. aphor. 64.
[2] De re Medic. l. 3. c. 22.

cleis Pini, Semine Card. Mariæ & Papavere præparata. Optimum quem de lactis usu in hoc morbo expertus sum effectum, in miscela animalis hujus liquidi cum dupla portione aquæ Selteranæ, consistere videtur; Tenuissima hæcce mineralis aqua, portione salis valde exigua, & sulphureo halitu subtilissimo stipata, undique penetrare, & cum lacte mixta, putredinem infringere & aliquale nutrimentum porrigere efficax, deprehenditur, imprimis si fastidientis stomachi æger non est, & omni mane per menses aliquot debitam portionem hujus liquidi haurire non aversetur. Ad superius indicatã humorum correctionem, ulcerisque absterfionem, potiones & decocta varia, pulmonum affectibus specifice dicata, ad tabem hancce profligandam mirifice extolluntur; quæ huic indicationi aliquo modo satisfecisse, deprehendi sunt imprimis Rad. Ari & Glycirrhizæ cum Herbis Hyssopi, Hederæ terrestris, Veronicæ & Bellidis minoris floribus, quæ infusa, & cum melle aliquantisper dulcificata, bis de die hauriri possunt. Ad ulceris exsiccationem conducunt balsamica nonnulla, & præ reliquis sequens compositio R. Gum. Juniperi, Mastichis, Myrrhæ ana dr. j. & sem. Terebinth. coct. Lap. Cancr. Citri acido saturat. ana drag. j. M. Pilul. de Styrac. j. scrup. l. semi-drag. M. F. c. Succo Glycyrrhiz. Pilul. æqual. ad Scrup. j. pro dosi versus noctem adsumendæ, quibus simul effræna tussis mitigari solet. Quo scopo exsiccante, etiam inservire vidi fumum, ex pulvere Succini, Thuris, Styrace & Olibano conflato & prunis injecto, per inspiratione nempe attractum. Ceterum de variis ejusmodi effumigationibus varia proponit Bonetus in suo Tabidorum Theatro, de quibus tamen ex minerali regno adsumpta, ob mercurialem l. o--olem suffocantem halitum quem spirant, rejicienda fore existimo. Non possum, quin pauca adhuc addam de eximio illo, a celebratissimis

Medicis *Sydenhamo* & *Boerhaavio*, ad tabem pulmonalem ſanandam propoſito remedio, quod in corporis motu quotidiano, equitatione inducto conſiſtit, de cujus efficacia egregios quandoque vidi effectus; ſed & vectio in curru hunc motum ſupplere pariter poteſt, præcipue ſi anni tempore idoneo ejusmodi itinera etiam longinqua ſuscipiuntur. Ad motum hunc excitandum æger, cum nullas impendit vires, minime debilitatur, interim motus iſti equo vel curru excitati, cruoris circulum adaugent, obſtructiones diſſolvunt, vaſa debilitata roborant, pus collectum movent, & motum tuſſi excitato, ad expulſionem diſponunt: Interea aeris, imprimis ſicci, vis elaſtica, verſus patula ulceris vascula directio, ea conſtringit, & ulteriorem ex illis ſeri effuſionem cohibendo, ulcus denique exſiccare & ægrum ſanitati reddere poteſt, imprimis ſi tempus ſufficiens motui huic impertitur.

Quemadmodum ulcus pulmonum, tabem ſeu phthiſim introducere poſſe vidimus; ita & reliquorum, imprimis abdominalium viscerum exulcerationes, huic non multum abſimilem morbum efficere poſſunt, qui hectices abdominalis nomine inſigniri ſolet a Medicis quibusdam. Jecur nimirum, Splen, Pancreas, Inteſtina, Meſenterium, Renes &c. ab obſtructione, imprimis inflammatoria prægreſſa & reſolutione debita minus ſubsecuta, in horum viscerum determinata quadam parte ſuppurationem producere poſſe, experientia multoties comprobata evincitur. Præterquam visceris ejusmodi affecti functio exparte debilitatur, ſic quoque collectum pus, cui exitus præclusus, in venulas minimas resorbtum, cruoris circulo pedetentim admiscetur, acrimonia ſua fibrillas irritat, motus febris lenteſcentis excitat, ſerum nutritivum conspurcando, bonam corporis habitudinem imminuit, labefactat, tabidamque ariditatem denique introducit.

Apparet autem, hecticas hujusmodi febres plerumque symptomaticas esse, a præcedente hepatitide, aut dysenteria, vel hypochondriaco seu hysterico morbo, febribus intermittentibus suppressis, aut critica febrium evacuatione impedita, &c. exortas. Ex morbis itaque ejusmodi prægressis, dolorisque loco in abdomine per temporis spatium jam subsistente, viscus ulcere affectum detegitur, & sanatio pro visceris indole & causarum antecedentium qualitate tentatur. Mea quidem experientia, vitæ regimine debito accuratius observato, succi herbarum quarumdam recentium e. gr. Chærefol. Heder. terrestr. Urtic. Bellid. Veronicæ &c. usum salutarem præ ceteris remediis exhibuerunt, subjunctis Extractis amaris e. gr. Ex Centaur. min. Card. bened. Gent. Fumar. Cascarill. & pro vehiculo ptisanis acidulatis, ex speciebus visceri affecto appropriatis.

Notandum autem, tabes ejusmodi ex scirrho prægresso, in cancrosam exulcerationem secedentem, originem trahentes, omnino insanabiles esse, quamvis per longum satis tempus sæpe, ægroto vitam sed languescentem valde concedant. Diutissime omnium tabescentiam protrahunt renum ulcera, quoniam a lotio præterlabente pus quotidie abstergitur & ab affecto loco eliminatur, donec tandem integra renum substantia exesa, lotii secretionem omnem impedit & vitæ terminum sistit.



DE HEPATITIDE

ET ICTERO.

SECTIO IX.

CUm omnes humani corporis partes & imprimis viscera, quæ notabilem cruoris partem continuo transmittunt, inflammationi obnoxia ſint, ita & jecur ab affectu hocce periculoso non immune eſſe, experientia evincitur. Obſtructionem cruoris inflammatoriam, in vasculis arterioſis minimis ſedem figere, artis peritis notum eſt, ſed cum arteria hepatis parva valde & tenuis ſit, & vena portæ, licet arteriæ officium in hoc viscere nanciscetur, motu ſatis placido, a cordis vi motrice immediate non pendente, ſanguinem transmittat, ita inflammatio hujus visceris non ita valida, nec adeo frequens ac in pulmone & cerebro &c. deprehenditur, quapropter hepatitis idiopatica rarius occurrere, & forſan arteriæ hepaticæ extremitates ſolummodo occupare ſolet. Interea, ſi a causa quacumque inflammationem excitante vel interna ſive externa ex doloris ſitu cognita &c. contingere observatur, tunc remediis resolventibus & diluentibns ſuperius traditis, maxime clysmatibus, & ſi opus eſt Venæ ſectione, ſanatio tentanda erit, quæ ſæpius, naturæ beneficio per alvi fluxum ſubcruentum, aut lotio copioso rubro, cum ſedimento albicante furfuraceo, aut ſudore copioso, vel narium hæmorrhagia ante quartum morbi diem, ſponte

perficitur, test. *Hippocr.* in Prognost. & Epidem. passim, & *Galen.* de Crisibus l. 3. c. 4. &c. Curationem Hepetitidis per remedia, præter *Hippocr.* & *Celsum* l. c. etiam *Aretæus* necessaria tradit de Curat. acutor l. 2. c. 6. &c. Sed & aliæ hujus visceris affectiones morbo huic occasionem præbere possunt, nimirum sanguis compactus, spissus, vel etiam pituitosus, a hypochondriaco vel hysterico malo exortus, vel a febribus suppressis, male curatis densior, redditus, aut a hæmorrhoidibus sive menstruis detentis regurgitans, vel in uno alterove viscerum abdominalium jam vitiatus & huc delatus cruor, jecur implere, & coacervatus in hoc viscere, maxime in venæ portarum finibus, infarctum hepatis dictum efformare potest, sub hepatitidis symptomaticæ nomine a priori distinguendum. Pejor adhuc redditur morbus, si infarctus hic in schirri duritiem abit, & comprimendo sanguifera vascula venæ hujus arteriosæ inflammat, & resolutione obstructionis inflammatoriæ, ante quatriduum non subsequente, in pus convertitur & ulcus constituit, quod successive rodendo & depascendo vasa, augetur, producto ichore sanguinem inficit, corrumpit, febrem lentam denique & hecticam, tandemque sæpe ascitem cum pedum oedemate introducit, omne artis auxilium plerumque aspernantes effectus. Sed pessimus evadit adhuc morbus iste, cum scirrhosa hæcce induratio in ulcus cancrosum dissolvitur, nulla arte sanandum. Signa, diversi hujus morbi gradus, ab autoribus descripta, in dextro hypochondrio se successive produnt, & quidem sub initium dolore obtuso, premente, præcordiorum angustia, cardialgia, appetitu prostrato, nausea, lassitudine, corporis habitu flaccescente, tumore quandoque dolorifico in hypochondrio elevato, (respirationis difficultate a diaphragmatis tractione orta) qui ratione situs & contiguitatis cum peritonæo nonnunquam

hancce membranam cum musculis abdominalibus superstratis, inflammatoria labe quoque afficit, ita ut in gibbosa hepatis parte collectum pus, per abdominis integumenta ibidem, ad suppurationem jam disposita, exitum parare intendit; sic ab ichore putrido ex hepate propulso perforata hunc in modum abdominis integumenta, ante annos aliquot in vetula sexagenaria conspexi, sed cum febre hectica extenuata & viribus penitus exhausta jam esset, tertio, post ulceris eruptionem die periit. Interim consultum fore existimo, si exterius tumor elevatus & inflammatus in hepatis regione apparet, ut post maturantia imposita tumor lanceola aperiatur & puri exitus paretur; experiendum itaque esset, an forte, purulenta ex jecinore evacuata materia, ulceris consolidatio promoveri possit, in desperato enim morbo anceps remedium præstat quam nullum: eo magis autem incisio tentanda foret cum jam *Hippocrates* * tumoris hujus aperturam ustione perficiendam præcipiat, id quod *Aretæus* quoque commendat de Caus. & Sign. morbor. l. 1. cap. 13. quamvis testari possim, salutarem me nondum vidisse hujus operationis successum: fistulam superstitem ab hac operatione commemorat. *Thom. Bartholinus* Epistol. Tom. II. p. 639.

In recensitis hactenus hepatis pravis affectibus, ab arteriæ ejus inflammatione hepatide scilicet, & venæ portæ infarctu, scirrho nimirum, aut cancro hujus visceris ortis, colorem in oculis & cute flavum, sive icterum proprie dictum, detegere vix potui, id quod minime insolitum videbitur illi, qui mecum considerat, icterum tunc demum apparere debere, quando bilis

* In libr. de internis Affectionibus. §. 31. p. 236. & Aphoris. 45. Sect. 7. it. Coac. N°. 451. it. Bianchi Hist. hepat. T. 1. part 3. p. 368.

in venæ portæ ultimis finibus ſecreta, & in porum bilarium ciſtidemque felleam amandata, transmitti per ductum choledochum ad inteſtina impeditur; tunc enim humor iſte biliosus, a ſanguine ſegregatus, per ejus receptacula retroactus, venæ cavæ ſurculis infuſus & cruoris maſſæ admixtus, cordi traditur; qui cruor, bile imbutus, mox per arteriam aortam undique, ita & in tota cutis ſuperficie diſtributus, hocce corporis integumentum flavo bilis colore tingere omnino debet, ejus moleculæ vero ad vasa cutis ſudorifera & perspiratoria delatæ, obtexturæ tenacitatem & craſſitiem, humidi transpirabilis inſtar, evaporare nequeunt, quare in exitu cutis vasculorum ſub epidermide transparente hærere, colorem ictericum flavum producere & ſudori exitum præcludere coguntur. Patet itaque inflammationem teneræ hepaticæ arteriæ, bilis ſecretionem, quæ in vena portæ perficitur, neque impedire, nec ejus ad inteſtina tranſitum arcere poſſe; Ita quoque in parte aliqua vaſtiſſimi hujus visceris orta obſtructio, infarctus aut ſcirrhus, ſecretionem bilis in loco affecto ſuspendere quidem, ſed icterum immediate producere nequit, cum bilis ſecreta jam eſſe debeat, priusquam illa, in tranſitu ſuo versus inteſtina, impedita & detenta, ſanguinis maſſæ admisceri poſſit. Interim non negandum, accidere quandoque poſſe, quod jecinoris ſcirrhoſitas quædam, pori debilarii ſeu bilis receptaculi truncum comprimendo, ejusque verſus ciſtidem & choledochum canalem decursum interrumpendo, amariſſimum hunc ſuccum, versus ſecretionis ſuæ vascula retroagat, & per venæ cavæ ſurculos prioribus contiguos, cruoris maſſæ committat. Ex quibus hactenus allatis patet, icterum oriri non poſſe, niſi bilis prius a ſanguine ſegregata, ejusque circulo deinceps commixta fuerit, quandiu enim cruoris bilioſæ

moleculæ nondum in jecore separatæ, toti sanguinis massæ adhuc commixtæ inhærent, colorem flavum in corporis superficie producere nequeunt, dispositionem quidem ad bilem efformandam possident, sed hujus liquidi textura, & completa elaboratio, ab ipso secretionis actu demum pendet & expectanda erit. Sic & Celsus differentiam ponere videtur inter hepatis inflammationem, quam acutum morbum vocat, & inter icterum; priorem morbum hepaticum, (Græcis ἡπατικὸν) nominat, qui jecinoris inflammatio sive hepatitis neotericorum est, & cum signa hujus morbi libr. 4. c. 8. recenset, nullam flavi coloris in cute mentionem facit; Icterum vero in peculiari capite libr. 3. c. 24. *morbum regium* appellat, & statim diagnosticum hujus morbi signum addit, dicens: *Color autem eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus, quod album esse debet, fit luteum.* Hanc hepatitidem absque ictero descriptam, invenies in libr. de intern. affection. *Hippocr.* cap. 30. p. 232. seq.

Experientia itaque edoctus existimo, bilem, quocumque modo vitiatam, jecur afficere, & icterum diversæ indolis producere posse. Artis peritis omnibus notum est, bilem, aqua, pinguedine & sale intime mixtis, conflatam esse, ac proinde saponem naturalem dictum censtituere, qui resistentiam miscendarum aquosarum & pinguium nutrimenti partium superare, & ad bonum chylum ex his combinatis eliciendum, disponere, in omni animalium corpore adornatus, summe necessarius deprehenditur. Interim mirabili plane artificio bilem productam conspicimus, cum maxima viscerum abdominis pars ad illam efformandam opitulatur; sanguis a Stomacho, Pancreate, Intestinis, Omento & Mesenterio redux, ubi liquidiorem seri ac lymphæ partem deposuit, innumeris venulis exceptus,

& in majores ramos collectus, motu placido, versus jecur tendit, ibique venæ portæ trunco infunditur. Præter hunc ſanguinem venosum, alia notabilis portio hujus liquidi ex ſplene profluens, priori, in venæ portæ oſtio admiscetur; hic ſanguis pro arterioso habendus, cum nullam in ſplene, præter aliqualem remoram, ſeri aut lymphæ jacturam paſſus ſit. Sed & aliam adhuc, ſanguis prior venosus, mutationem ſubiiſſe non obscure apparet: etenim ille, qui ab omento versus hepar fertur, pinguedinis portionem, in hujus membranæ cellulis coacervatam, ſibi admixtam, reliquo ſanguini in venæ portæ trunco impertit; illa autem cruoris pars, ab inteſtinis craſſis & mesocolo rediens, haud exigua ſalis alcalini volatilis portione, a putridarum alvi fæcum exhalationibus imbutus, portæ truncum quoque ingreditur: denique halitus ille lymphatico ſerosus ſubtiliſſimus, ex tota ſuperficie omnium abdominis viscerum & a peritonæo collectus, a venulis ſuperficierum iterum resorbtus & lymphaticis vaſis amandatus, pari modo ſucceſſive hepatis cruori admiscetur. Ex ſanguine itaque venoso partim, partim arterioso, pinguedine porro omenti, ut & alcalino ſale excrementorum ab inteſtinis collecto, & denique ſubtiliſſima lympha halituosa ſuperficierum in abdomine contentorum viscerum, impraegnata, conſtat iſta vitalis liquidi portio, quæ partes omnino conſtituentes omnes ad ſecernendum ſaponem iſtum naturalem, bilem dictum, continet, cujus ſecretio, motu cruoris placido, in hepatis venæ portæ ultimis receſſibus perficitur, licet ſecretionis hujus modum, & molecularum ad bilem conſtituendam proportionem inter ſe, utpote actum naturæ penitus absconditum, ſenſibus noſtris & ratiocinio impenetrabilem, lubenter agnoscamus.

Hisce

Hisce consideratis, omnibus artis peritis ultro patescet quod visceris cujusvis, ad bilis secretionem concurrentis labes, aut mala dispositio, hocce liquidum secernendum vel secretum, ita afficere vel vitiare possit, ut sibi ipsi viam ad intestinum duodenum præcludere, & retroactum, per venæ cavæ surculos, sanguinis massæ, ad icterum producendum, se immiscere cogatur. Huc referendæ sunt causæ illæ omnes, quæ sanguinem atrabilarium, spissum hypochondriacorum, producere valent, * ex quo depravato cruore jecur non nisi vitiatam bilem secernit, quæ vel nimis spissa aut tenax, vel nimium pituitosa, terrestris, meatus hujus visceris constipat, aut ductus biliosos ab hepate & fellea vesica ad intestinum tendentes, obstruit. Similis horum ductuum obstructio oriri potest ab acri irritante corrupto ichore, ab ulcere putrido, vel carcinomate, in quocumque abdominis viscere latente, & cruoris massam inquinante, producto. Inquinatus ejusmodi acer cruor, bilem quoque acrem separat, quæ fibrillas meatuum biliosorum perpetuo vellicando, spasmodicas stricturas efficit, quibus exiles isti ductus in hepate coarctantur, & vitiatam hanc bilem, versus venæ cavæ surculos retropellunt, quæ sanguinis massæ admixta, icterum pessimum sistit. Hanc icteri speciem in milite detexi, qui, postquam per menses aliquot ictero nigro & febre lenta hectica laboraverat, tandem summe extenuatus obiit; in dissecto ejus cadavere ulcus cancrosum in mesocolo, ovi gal-

* Confer. Hip. de intern. affection. cap. 29. it. in Prognostic. sub initium. Item Mémoires de l'Acad. de Chirurgie, tom. 1. p. 155, &c.

lìnacei magnitudinem adæquans, inveni; jecur præterea induratum & cæruleſcens conſpiciebatur. A putrido & corrupto omento icterum funeſtum detexit doctiſſimus Mead, necnon alium a viperarum ictibus. * Qui a vehementiſſimis animi commotionibus exiſtit icterus, a ſpaſticis conſtrictionibus hepar & porum bilarium ſubito coarctantibus, originem trahit, facile plerumque diſſipatur, ſed ſæpius redire quandoque ſolet. Aliæ adhuc icterum producentes cauſæ reperiuntur apud Gliſſonium in Anat. Hepatis, & Bianchium in Hiſtor. Hepat. Diverſa autem ab his ſe mihi obtulit icteri ſpecies, cum vetulam ſeptuagenariam diſſecarem, quæ totam felleam veſiculam, una cum ductu choledocho lapidoſis concrementis repletam exhibebat, quatuordecim circiter lapilli, cubicæ figuræ, & diverſis coloribus eleganter tincti, totum hujus veſiculæ ſpatium intus arcte occupabant, ſed bilis nullum veſtigium in hisce receptaculis apparebat, cæterum viſcera chylopoiea omnia, macie torrida & exſucca, cum tota corporis compage extenuata conſpiciebantur.

Maximi momenti bilis uſum eſſe in chyli, conſequenter & in ſanguinis præparatione, artis ſalutaris indagatoribus notum eſt; cum quotidie adſumpti nutrimenti partes oleoſæ pingues, cum aquoſis, ad ſuccum nutrititium producendum, neutiquam coadunari poſſint, absque ſaponaceæ bilis optime elaboratæ adjumento. Vitiata itaque bilis, a cauſis antea recenſitis, ejusque in inteſtinis ad alimenta

* Vid. ejus Monita Medic. cap. 9. & Tract. Angl. Mechanical account of poiſons 1 Eſſai. It. Galen. de loc. affect. libr. 5. cap. 8. a morſu felis rabidi, Lanzon. tom. 1. Act. Phyſic. p. 134.

digerenda impedita admixtio, cruoris ſani depravationem a chylo depravato emergentem, introducit. Cum itaque ſanguinis elaboratio debita defectum patitur, ſecretiones cum excretionibus hinc inde turbantur, humorum maſſa tenax, aut pituitoſa vel craſſa nimis redditur, tunc omnino debilior ejus, per abdominis viſcera & imprimis per jecur propulſio, obſtructionum in vaſis minimis mox cauſa exiſtet, quo facto viſcerum horum infarctus, expanſio, circulationis preſſio & hypochondriorum doloroſa extenſio mox perſentitur; quibus ſuccedit obſtructio completa, quæ nunc in ſcirrhoſam duritiem colligitur, aut vaſis disruptis & humoribus corruptis ulceroſas vomicas in hoc viſcere conſtituit, quæ cum denique in abſceſſus putridos cruore mixtos diffluunt, exeſis venæ cavæ in jecinore venulis, illarum truncum intrant, & cruorem jam depravatum penitus conſpurcant; aliquando etiam corroſis pori bilarii ductibus, bilis iter ab ejus defectu neglectum proſequuntur, & per meatum choledochum in duodenum penetrant, dolores colicos enormes excitant, & per diarrhœam putridam cruentam expelluntur, quæ mortem inſtantem annunciat.

Ubi autem febris intenſiſſima, ab arteriæ hepaticæ æque ac venæ portarum ramuſculis inflammatis orta, ſiti inexplebili reliquisque inflammatoriæ febris ſymptomatibus ſtipata, mox per alvum fœtida, cadaveroſum odorem ſpirantia excrementa expellit, indicio ſatis certo conſtat inflammationis gradum adeo validum in gangrænam abiiſſe, totumque jecur in putridum ichorem diſſolutum eſſe, qui funeſtus hujus icteri ſtatus, ſingultum inſuperabilem ad mortem uſque habet comitem.

P 2

Quod si vero inflammatio hujusmodi parvum solummodo in jecinore locum occupat, & inflammatoriæ hujus obstructionis dissolutione neglecta, exulcerationem patitur affecta pars; tunc purulenta materies, cui critica evacuatio, per excretiones naturales non contigit, per venulas successive resorbetur & cruoris massæ admiscetur; continuata sic puris admixtione, per continuatam, licet exiguam initio suppurationem, lenta febris & sensim hectica introducitur, quæ debilitatis omnibus corporis functionibus, & nutritione propemodum abolita, corpus emaciatum denique sistit, quod pravos humores in extremitatibus accumulat, & sic anasarca atque œdemate producto, liquidi vitalis exiguum valde residuum, in hanc colluviem mox præcipitabitur & penitus submergetur. Morbum hujus indolis bis quidem tractare & sanationem tentare occasionem nactus sum, sed ut verum fatear, nullo artis auxilio, nullaque industria, purulentæ materiæ decubitum versus pulmones avertere potui, sed visceris hujus actione labefactata, & tussi cum excreatione copiosæ materiæ putridæ subsecuta, reliquarum partium functiones brevi penitus fractas reperi, nullo remedio iterum firmandas, licet anni spatio fere, quævis tentare mihi concessum fuerit.

Pauca addendum fore existimo de tragico isto hujus morbi statu, ubi a bilis motu versus intestina impedito, & obstructione inde in jecinore, vel in aliis, versus venam portæ, cruorem suum amandantibus visceribus, orta, putrida obstructionis dissolutio subsequitur, quæ integumentis viscerum exesis & perforatis, pus corruptum in abdominis cavum effundit, dirissima inde enata symptomata maxime convulsiva, omnes fere corporis partes distorquentia, mi-

ferrimum ægrum ilico jugulant. Exemplum in aperto militis cadavere detexi, ubi ingens puris fœtidissimi copia ex hepate in ima parte disrupto, abdomen inundaverat, residuum hujus visceris lividum, cærulescens, & induratum conspiciebatur; causam morbi ejusque durationem detegere non potui.

Ex Icteri diversa indole, gradu, progressu, symptomatibusque variis hactenus consideratis, non obscure colligi poterit, quod huic morbo statim medicinam facere debeamus, quam primum coloris crocei vestigia in oculis & externa cute adparere soleant, & excrementa cinerea, albicantia, una cum lotio, linteum luteo colore tingente conspiciuntur; diutius enim impeditus bilis, pro chylificatione perficienda, in intestinis effluxus, cruori, ex imperfecto chylo composito, vitium imprimit, quod circulum ejus in vasis minimis, secretionesque debitas infringit & nutritionem corporis debilitat, unde obstructionis viscerum, & vigoris ægroti vacillantis, origo, ex quibus icteri initiis, ejusque progressu haud interrupto, omnia superius indigitata phænomena, utplurimum pessima & sæpius funesta, originem successive trahunt. Causarum itaque superius memoratarum indagatio æque ac cognitio, curationi instituendæ modum suppeditabit; Hoc autem prius animadvertendum esse existimo, bilis vitiatam qualitatem, utpote causam icteri primariam, derivari potissimum a cruore isto, quem abdominis viscera ad venæ portæ truncum ablegant, & in quo jam partes, bilem in hepate secernendam constituentes reperiuntur; sed si unum aut alterum horum viscerum vitio aliquo laborat, tunc moleculæ illæ, quæ bilem componere debent, depravatæ, vel insufficientes repertæ, hunc liquorem in jecinore separatum, minus idoneum vel im-

perfectum ad negotium chylificationis ſubeundum, ſiſtent. Peccare idcirco poteſt bilis vel conſiſtentia, dum nimis ſpiſſa ſive tenax oppilare cogitur bilarios ductus; vel acrimonia ſalina excedente, qua fibras acriter titillando, ſpasmodice hos ductus conſtringit, & bili verſus inteſtina iter præcludit; vel denique proportione debita partium conſtituentium obſervanda neglecta vel impedita, aut harum partium mixtione intimiore deficiente. Quæ bilis vitia a cauſis ſuis repetenda ſunt quæ in iſto cruore reſident, quem viſcera male affecta, ad amarum hocce liquidum ſeparandum, jecinori tradunt, quo ſucceſſive ſimul viſceris hujus actio, ad ſecernendum hocce liquidum, minuitur & debilitatur.

Cum autem cauſæ hæ pleræque omnes, a viſcerum horum debilitate vel obſtructione, aut ſanguinis acri diſpoſitione pendere ſoleant, in curatione inchoanda, ea remedia ſeligere convenit, quæ reſolvendi, diluendi, corroborandi & acrimoniam detectam corrigendi, vim poſſident. In id unum nempe omne ſtudium omnemque curam intendere debemus, ut obſtacula removeamus quæ bilis ſecretionem, ejusque in inteſtinum duodenum effuſionem impediunt. Præter diluentia & reſolventia generaliora, ex antecedentibus jam nota, ea ſimul, teſte experientia, ſeligenda ſunt, quæ diſſolvendi ſimul, amara ſaponacea virtute prædita, bilis deficientis effectum ſupplere aliquo modo poſſunt, quæ inter præ ceteris eminent: Hbæ Centaur. min. Card. ben. Abſinth. Fumar. una cum Gent. rubr. Vincetox. Pimpin. alb. Aron. & Rhei Radicibus, &c. horum extracta accuratiori ſtudio parata, cum Gum. Galbano, ſagapen. aut Ammoniaco juncta, & cum ſale quodam medio

e. gr. tartaro vitriol. tartaro tartarisato, &c. Sale Absinth. citrato, acuata, omnem fere icteri recentis sanationem absolvunt. Commode extracta indicata adjecto sapone, in pilularum forma, vel aquis destillatis appropriatis diluta, sub mixturæ concentratæ consistentia exhibere possunt. In pertinaciori vel aliquo modo inveterato ictero, imprimis si hypochondria tensa dolent, remediis ejusmodi, laxantia interpolanda sunt, quo scopo infusa laxantia ex Rad. Polypod. Herb. Cent. min. Marub. alb. Cuscut. & Epithym. cum Rheo & Fol. Sen. in Vini & Aquæ com. æquali portione infundenda, singulis mane haurienda, cum optimo successu exhibui vel etiam Pilulas ex Gum. Galbano, Sapone, Aloe rosata & Rhabarbari extracto compositas. Quæ medicamenta, observato probe vitæ regimine, infarctus & viscerum obstructiones, etiam scirrhosas incipientes, tanquam bilis depravatæ & icteri inde emergentis causæ remotæ expedire sæpius solent. Vesicula fellea obstructa, & sæpius in volumen ingens expansa, maxime si concrementis calculosis repleta est, icterum chronicum contumaciorem efficit; hujus notatu dignum exemplum mihi præbuit illustrissimi belli ducis B. d. K. conjux, quæ postquam per tres menses ictero detenta, omnis generis remedia incassum adhibuisset, huc transportata, consilium meum æque ac auxilium anxie implorabat. Cutis obscure flavus & fere nigricans color, excrementorum cinerea albedo, lotium ex atro rubescens, cum flaccido corporis & emaciato habitu, icteri gradum contumacissimum demonstrabant. Medicamenta efficaciora omnis generis successive adhibui, sed absque multo emolumento, nisi quod appetitu ciborum aliquo modo restaurato vires corporis non nihil augeri

viderentur ; remediis pene multis ex voto in quartam usque mensem fatigata ægrota , tandem ex quotidiano usu pilularum ex sapone, &c. antea memoratarum , in diarrhœam incidit , mox a pedissequa annunciatum mihi fuit, magnam bilis turgescentis copiam rejectam in sellæ stercoreæ labano apparere ; tunc investigatione ulteriori instituta , multa fragmenta concretionis calculosæ, albicantis & lutei coloris, nonnulla pisi molem adæquantia , a dejectionibus stercoreis separata fuere ; continuata adhuc per aliquot dies moderata diarrhœa , plura ejusmodi denuo fuere rejecta , donec tandem , profluvio alvi cessante, fœdus cutis color pedetentim disparuit , signo satis manifesto , bilem iterum in duodenum effundi, sicque chylificatione restituta , icteri reliqua symptomata successive disparuere & illustrissima ægrota sanitati integræ fuit restituta & adhuc incolumis vivit. *

Tota insuper Icteri medela, restitutionem transitus bilis in duodenum exposcit, posito nimirum , quod bilis secretio in jecinore adhuc subsistat ; verum si ictero prægresso tota cutis superficies fœdo colore luteo inquinata , jecur postea obstructum, inflammatum , exulceratum , corruptum , bilis separandæ officium perdidit , tunc neque ulterior bilis secretio, neque ejus ad intestina deportatio restituenda , multo minus icteri sanatio ab arte expectanda erit ; quare fœdus cuti antea impressus icteri color persistet, & hecticam, hydropemque , jecinoris destructi funesta symptomata , ad vitæ finem usque comitabitur.

* Confer. Observat. Medic. Edimburg. tome 2. Obs. 28. 29.

DE NEPHRITIDE

ET CALCULOSIS AFFECTIBUS.

SECTIO X.

ARTERIARUM emulgentium, quæ renes ingrediuntur amplitudo, ſanguinisque urgentis, ob cordis viciniam, in eas impetus, inflammationem validam quandoque lotii hisce emiſſariis impertire, febremque acutam excitare poſſe, experientia confirmatur. Inflammationis exortæ præſentiam indicat pungens iſte dolor, qui in lumborum regione, ad ſpinæ dorſi latus, ſub coſtis ſpuriis ultimis persentitur. Urina mox pauca, valde rubra & quaſi flammea excernitur, ructus perpetui tunc vomitus utplurimum biliosos excitant & ſæpius cruris ſtupor, cum teſticuli vellicatione in illo latere, quod reni inflammato respondet, ſentiuntur. Si obſtructio hæcce inflammatoria, renem totum occupat, vascula ſecretoria adeo conſtringuntur, ut lotii parum vel nihil emittatur, præcipue ſi ſanguinis infarctus utrumque renem ſuffocat; vel in ſano, ſpaſtica conſtrictione, ſecretionem lotii impedit. *

Cauſæ hunc morbum efficientes, variæ in praxi medica deprehenduntur; præter generales omnium inflammationum causas, & externas illas, quæ renes

* Signa hujus morbi tradita reperiuntur apud Hip. de intern. affection. cap. 15—18. & apud Celsum de Re Med. l. 2. c. 7, p. 60. 61.

lædunt, aut quæ fluentes hæmorrhoides consuetas supprimunt, imprimis illæ attendi merentur quæ plethoram in motum vehementiorem præcipitant, & cruorem in distributiones emulgentis arteriæ ultimas usque in ductus uriniferos propellunt, uti sunt, cursus, vectiones in rheda vel equitationes vehementes, præcipue si tempus diuturnum motibus ejusmodi impenditur. Sic nephritidem cum febre acuta stipatam reperi in juvene satis robusto & sano, qui equo vectus, iter 12 milliarum germanicorum, in tot horis emensus erat; lotii cum nihil redderet iste æger, & cannulla argentea incassum in vesicam introducta fuisset, statim ex secta vena largam sanguinis portionem educere curavi, aquam mulsam seu Altheæ decoctum cum melle, in copia hauriebat, & post 3 vel 4 horas ex Nitro & Tartaro tartarisato æqualiter mixtis scrup. j. l. semidrag. adsumere dispositus æger fuit, nec clysmata omittebantur, quorum tria vel quatuor singulis diebus fuere injecta. Tertio demum die, lotium prima vice iterum prosiliit obscure rubrum, crassum sed absque sedimento, qua evacuatione restituta, febrilis æstus quodammodo remisit, & septimo die penitus cessavit, postquam urina sedimentum copiosum, rosei coloris, deposuerat. Inter causas hujus morbi frequentiores numerandæ adhuc veniunt, diæta lauta consueta, imprimis esculenta a romatibus nimium acuata, & vini, præsertim junioris fervidi potus nimius, ut & vini spiritus abusus, maxime si vegetabilibus admixtis calefacientibus exaltatus est, sic & diuretica calidiora, quæ ex opinione præjudicata, ad nephritidem avertendam, quandoque copiosus adsumuntur. Mea quidem experientia causæ hæ nephritidem, sed non adeo vehementem aut acuta febre stipatam producunt,

quæque indicare videntur, aliqualem ſolummodo renis partem, inflammatoria obſtructione affectam eſſe; Sed cum ægri hujusmodi neque vitæ consuetum regimen mutare ſoleant, neque remediis idoneis æſtum in renibus aufferre, Medico prudenti permittant, particulares ejusmodi, nempe portionis cujusdam in renibus, inflammationes, in leves ſuppurationes abeunt, ubi pus in papillulis iſtis, quas arteriarum diviſiones ultimæ cum ductibus uriniferis formant, detentum, ſalino-terreas; pingues lotii particulas involvit, & granula iſta efficit, quæ urinæ premens tranſitus ſecum rapit, & quæ ſub ſpecie ſabuli (graveel) in matulis poſtea colliguntur. Verum ſi pus hocce, contenta ſolida in majus volumen cogit, tunc ejusmodi lapilli, ad piſi magnitudinem interdum accreti, expansas pelvis & ureterum fibrillas, ſcabra ſua ſuperficie irritando, ſpasmodicas conſtrictiones violentiores excitant, quæ ſub colicæ nephriticæ appellatione ſatis notæ, acutum dolorem tam diu ſuſtinent, donec ſcabritie ſua pungens lapillus, per anguſtum ureteris canalem in veſicam propulsus, poſt excitatos vehementes ſtranguriæ dolores, cum lotio denique ejicitur.

Interdum autem calculi renalis, per ureterem ad veſicam descensus, propter craſſitiem vel asperitatem ſuam, ingens obſtaculum offendit, nimirum nervi renum laceſſiti, ob nexum quem habent cum reliquis omnibus viscerum abdominalium nervis, ab iisdem nempe intercoſtalis & paris octavi ramis originem nacti, violentam luctuosamque, omnium in abdomine contentorum viscerum ſtructuram excitant, inde ructus perpetui, nausea & vomitus in ſtomaco, cardialgiæ, ſuffocationem minantes tenſiones in diaphragmate, & violentiſſimæ imprimis in

inteſtinorum tractu conſtrictiones, oriuntur, quæ flatibus collectis & expanſis omnem exitum præcludentes, una cum moleſtiſſimis mingendi conatibus percipiuntur, nullaque producti inde doloris acerbi remiſſio expectanda, quam diu pungens lapillus ureteri adhuc infixus, nervos ibi vellicat: ſed ubi primum in veſicæ ingens ſpatium protrusus eſt, ilico omnis dolor in affectis visceribus evanescit, quod prima flatus cujusdam emiſſione indicatur, cui ſtatim calculi descensus cum doloris integra remiſſione ſubsequitur; nam ſubſiſtente adhuc violenta iſta constrictione partium ſpasmodica, lapis infixus arctiſſime undique conſtrictus, protrudi nequit, donec ductus a ſpasmo relaxatus, viam aperiat. Quare, ad calculi amotionem, in cura ſuscipienda, tenſiones iſtæ violentæ partium ſpasmodicæ prius avertendæ ſunt, quo ſcopo clysmata emollientia injicienda & ſæpius repetenda ſunt, & inſimul ad ſtuporem, pro ſpasmi relaxatione in ductibus, lotii & calculi iter conſtituentibus, introducendum, anodyna ſtatim exhibenda ſunt, quo ſcopo ſemper cum ſucceſſu Laudanum liquidum Sydenhamii deglutiendum dedi, & infracto paulo poſt doloris vigore, magnam juris carnium, vel emollientium ſpecierum infuſionem, in copia potandam exhibui, quo vehiculo nacto, calculus in ductu relaxato, ad veſicam natando quaſi rapitur, imprimis ſi æger ab amicis vel domeſticis ſuſtentatus, ad ambulandum in cubiculo cogitur. Descensus calculi ex doloris integra ceſſatione facile intelligitur, quamvis ille ſæpe altero die ſolummodo, cum lotii copiosa excretione expulſionem nanciscitur. Sed accidit mihi aliquando, quod omnibus hisce adminiſtratis auxiliis nihil efficere, nec calculum ureteri infixum, avellere poſſem in ægroto quodam triginta annos nato,

homine robuſtiſſimo, plethorico, cui quoque, ad ſpasmum mitigandum, cruorem ex vena ſecta detrahere ſtatim curaveram, hisce omnibus incaſſum adhibitis, cum acerbiſſimus dolor ægrotum in epilepticos fere motus conjiceret, illum in balneum valde emolliens, ad collum usque immergebam, quo per horam circiter detentus, ſtragulis calefactis involutus, doloris tandem remiſſionem, cum calculi altero mane excretione obtinui; calculus ceraſi nuclei craſſitiei, hirsutus valde & asper erat, quam formam, per diuturniorem moram ſibi in lotii ductibus, paraverat. In veſica autem remanens interdum lapillus, calculi veſicæ nucleum tractu temporis conſtituit nimirum; tunc partes lotii mucilaginosæ, terreſtres, ſalinæ, ſuperfluæ, ex corpore ſegregatæ, lapidoso huic nucleo applicatæ, lamellis coadunatis illum pedetentim obducunt & quaſi incruſtant, ut calculus ingentis quandoque voluminis hunc in modum efformatus, veſicam laceſſat & replet.

Quod ſi vero lapillus in rene affecto remanens, ibi ſedem figit & adeo augmentum capit, ut mole ſua per ureterem ad veſicam amplius propelli nequeat; tunc ſenſim vicina in ambitu vascula comprimet, cruoris circulum in illis ſiſtet, inde neceſſario ſubsecutura inflammatio, diſſoluta vascula in pus convertendo, totum denique renis arcum vasculosum deſtruet. Item contingit, ſi totus ren ab initio ſtatim inflammatione correptus, in ſuppurationem abit. Duplicem hunc renis integre deſtructi modum, diſſectio cadaverum hoc morbo extinctorum, non ſolum abunde comprobat, ſed & materiæ purulentæ continuus cum lotio ſeceſſus hoc ipsum confirmat, quod ſane phænomenon ideo notandum, quia puris hæcce cum urina excretio, absque interruptione per aliquot

annos quandoque observetur. Rationem tam diu protractæ ſuppurationis, non aliam reddere poſſum, quam quod locus in rene inflammatus, lotii præterlabentis ope aſſidue abſtergatur, adeo, ut ſuppuratio vehemens & ſubita, quæ in aliis visceribus, absterſione ejusmodi carentibus, contingit, impediatur, & non niſi ſucceſſive & in minori copia vasa corrupta per diſſolutionem leviorem in materiam ichorosam convertat.

Aliquando purulenta & calculosa hæcce materies, in rene affecto producta, per ureterem ad veſicam dimittenda, emiſſarium hocce obſtruit, & ſibi viam ad lotii receptaculum præcludit, alter ren ſanus, officio ſecretionis urinæ tunc ſolus fungitur; affectus autem ren in uretere ſuo obſtructo, calculosam & purulentam materiem continuo accumulat, qua ſucceſſive canalis hicce adeo dilatatur, ut in defuncto ſeptuagenarii cadavere inciso, ejus diametrum ad duos pollices dilatatum, & materia cruſtacea ſabulosa, in ſtatu naturali ſatis exilem ductum hunc repletum, maxima cum admiratione detegerem. In juvene viginti circiter annorum in infima ureteris parte, ubi intra veſicæ urinariæ tunicas reptando, ductus iſte in lotii receptaculo aperitur, calculosa talis ſaburra coacervata ſenſim & compacta reddita, tunicam interiorem in tumorem ſatis notabilem elevaverat, qui fiſtula argentea exploratus, calculi majoris præsentiam in veſica haud obscure annunciabat; operatione ad calculum extrahendum inſtituta, fruſtranei erant conatus omnes, calculum iſtum intra tunicas væſicæ absconditum aufferendi; moriebatur valde extenuatus æger quarta, poſt fruſtra perpeſſam inciſionem ſeptimana. Diſſectum ca-

daver clare monſtrabat rariſſimum hocce phenomenon, cujus modum exiſtendi, quamvis adſtantibus luculenter exposuiſſem, a Chirurgo lithotomo tamen, pro membrana hocce involucrum habebatur, a provida ſcilicet natura, calculo, ne asperitate ſua læderet, circumductum.

Ad nephritidem inflammatoriam, ex ſignis ſuis cognitam, citius aufferendam, ſanguinis detractione opus eſt, eo magis, cum a plethora mota morbus hic utplurimum originem ſuam repetat; tuncque ſalia media cum Nitro combinata, omni trihorio exhibenda ſunt, quibus pro vehiculo potionem ſequentem egregie inſervire ſæpius expertus ſum. R. Radic. Cichor. Gramin. ana ij. unci Glycirrhiz ſemi-unci Cicer. rubr. ſemi-unci & Semin. Card. Mar. ij. drag. Misc. fiat fortis Infuſio cum Aqua com. bulliente, Colaturæ ij. libr. vel iij. admisc Syrup. Rad. v. aper. vj. drag. de quo bibat æger ſæpius & in copia. Sic & Emulſiones conveniunt ex Semin. Melon. Card. Mar. & Papaver. alb. item aqua mulsa tepida ad vomitum reprimendum: imprimis autem ad dolores ſpasticos ventriculi & inteſtinorum colicos reprimendos, clysmata ex emollientibus, adjecta herba Veronica, neceſſaria valde deprehenduntur. Hisce remediis, ſedulo adminiſtratis; resolvitur utplurimum, intra paucos dies inflammatoriæ renum ſtaſis, cujus ſigna minus fallacia deprehendi ſequentia: Si tertio vel quarto die, urina copiosa, ruffa & turbida redditur, ſi febrilis æſtus & dolor in loco adfecto tunc imminuitur & ſpaſticæ abdominis ſtricturæ una cum nausea, ructu & vomitionibus remittunt, vel ſi hæmorrhoidum fluxus hoc tempore percipitur, monente hoc Hippocrate, in aphorismo 9. Sect. 6. quæ ſigna appa-

rentia, ægroto sanitatem restitutam, omnino annunciant.

Verum si in vehementiori renum inflammationis gradu, resolutio nephritidis non succedit, vel perversa curationis methodo impedita fuerit, tunc doloris subita cessatio, remanente tamen pulsationis, sensu in rene affecto, inflammatoriam obstructionem in pus dissolutam fuisse, indicatur; accidit tunc, quod purulenta hæcce materies, vellicatione fibrillarum, horripilationis vagæ sensu se manifestet, & mox, in lotio emisso, sedimentum materiæ putridæ & fœtidæ percipiatur. Hocce puris cum lotio ex affecto rene profluvium, per multos annos perdurans vidi, cujus effluxum, haud interruptum, impedimento fore existimo, quo minus pus illud, stagnans ut in aliis visceribus, resorberi, & sanguinis circulo, ad febres lentas hecticas excitandas, admisceri possit; Nec secretionis lotii integra cessatio, ab ulcerato hocce rene pendet, cum alter sanus, utplurimum secretionis urinæ debitum munus exequitur. Sed si demum temporis tractu, totius renis affecti vasculosa structura exesa, & in putridum magma dissoluta & expulsa est, tunc ex involucris nil nisi saccus inutilis remanet, quem ingentem molem productum aliquando vidi, sub tabis renalis nomine, hæcce visceris hujus destructio, Auctoribus venit.

Multa quidem remedia multis laudibus a scriptoribus extolliuntur, ad putridam hanc scaturiginem exsiccandam, qualia imprimis sunt decocta vulneraria, diuretica, basalma artificialia diversa, & nativa, præcipue uti sunt Terebinthina, balsamum, Copaibæ, de Mecca &c. * Aquæ minerales nonnullæ,

* Aetius Sermon. 11. c. 18.

Lac

Lac animalium, &c. (1) quæ tamen votis parum respondisse sæpius expertus sum (2). In Centurione quodam, qui per aliquot menses post perpessam nephritidem inflammatoriam, lotium ejusmodi purulentum reddidit, Succini Essentiam sine alcali paratam, ter de die assumendam exhibui, & post singulas doses serum lactis æstivum superbibendum jussi, servato vitæ regimine debito, post mensem unum vel alterum puris profluvium valde imminutum fuit, ut, quod adhuc in parva copia exivit, nullum amplius incommodum excitaret. In alio ejusmodi ægroto, Aquæ Selteranæ cum tertia vel quarta parte lactis permixtæ, puris ex rene exitum diminuerunt. Effectum autem præstantiorem me expertum fuisse memini, a potione gummosa Terebinthinæ, a copiosiore parte resinosa separatæ, cujus ἐγχείρησιν infra tradam, cum de morbis venereis tractandis sermo erit.

Præter puris, ex affectis renibus per urinæ vias, evacuationem, & alia via innotuit, per quam collectum ibi pus, si obstaculum in ureteribus offendit, effluxum moliri tentat. Nimirum exterius in regione lumbari, ubi renes subtus locati sunt, tumor quandoque elevatus protuberat, quem puris in rene valde distento, notabilis copia extrorsum protrudit. Abscessus ejusmodi renalis mentionem jam fecit Hippocrates (3) uti & Aëtius; prior suadet incisionem profundam, quæ in materiæ purulentæ involucrum, renem nimirum, penetrare

[1] Trallianus de arte Medic. lib. 9. c. 5. lac asininum.
[2] Ægineta de re medica, l. 3. c. 45. Lac comendat.
[3] Hipp. de intern. affectionibus c. 15. 16.

debet ; alter cauterium imponendum præcipit (1). Sed operationem hanc multis difficultatibus obnoxiam esse, omnes humani corporis structuræ gnari fatebuntur ; integumentorum & musculorum abdominis, præcipue dorsalium crassities, puris integre evacuandi exitum difficilem valde reddent, cujus aliqua portio, inter cellulosa musculorum interstitia, & imprimis intra peritonæi cellulositatem gliscens, fistulas immedicabiles & exitiales abscessus, cavum abdominis penetrantes, facile producet ; Et si aliquando felicem exitum nacta est hujusmodi incisio, uti apud Bonetum legitur, (2) tunc omnino inter sanationes rarissimas numeranda est. (3) Ego sane nunquam abscessus hos renales exterius se manifestantes in praxi mea vidi, neque tumores renum scirrhosos sive carcinomatosos, de quibus scriptores nonnulli loquuntur, in cadaverum dissectionibus unquam offendi.

Saburra calculosa, a renibus in vesicam descendens, quando cum lotio non extruditur sed ibi remoratur, calculi vesicæ basim constituere solet, cujus superficiei pingues, salino-terrestres urinæ particulæ affixæ sensim indurescunt, & crustis lamellosis successive circumpositis, vesicæ calculum efformant, qui tractu temporis mole sua & volumine insigniter quandoque auctus, vesicæ actionem in lotio emittendo infringit, dum stillicidium ejus, dolorem acerbum cum stranguria sæpe excitat, cum pruritu in penis glande, & ponderis sensu prementis in perinæo conjunctum. Urina excreta, muco-

[1] Vid. Aëtius in sermon. XI. c. 18.
[2] In sepulchret. Tom. 2. pag. 566.
[3] Vel quod de Marchettis narratur scil. calculum ex rene extraxisse, vid. Observat. Edimburg. Tom. 1. Obs. 21.

sum crassum albicans sedimentum, ex attritu tunicæ interioris vesicæ productum monstrat; ex hacce nimis diu producta læsione, ulcera in hocce lotii receptaculo exorta vidi, quæ, cum calculi extractio per sectionem recusaretur, in tabem exitialem desinerunt.

Malo eo usque perducto, ut majoris voluminis calculus vesicam continue lacesset, medentium industria, ab omni tempore remedia detegere allaboravit, quibus mediantibus, nocivum hocce concrementum in vesica dissolvi, & dissolutum per angustos urinæ ductus eliminari possit. Innumera fere hinc inde emergerunt medicamina, quæ sub splendido lithontripticorum titulo per tot secula fuere divulgata, quæ tamen ægrotis in hunc scopum adhibita, spem omnem, in promissis positam, fefellerunt. Plurimi magis ex inadvertentia quam ex dolo fucum fecerunt; cum enim viderent, quod calida utplurimum acria, diuretica aut volatilia ejusmodi lithontriptica remedia, in nephritide exhibita, saburræ calculosæ vestigia in lotio hinc inde monstrarent, hæcce sabuli granula, pro calculi soluti fragmentis accipiebant, cum tamen re vera nihil aliud sint, quam terrestres salinæ miculæ, quas compegerunt exiguæ istæ puris moleculæ, in papillulis renum uriniferis, a leviori nephritidis gradu productæ, renis autem inflammatorium æstum, ad purulenta ejusmodi ulcuscula producenda satis protrahunt remedia illa calefacientia, sub lithontripticorum appellatione cognita. A protracto horum medicamentorum usu, exortas nephritides artificiales fere nominandas sanasse me recordor, cum remedia hæc amplius sumenda ægrotis ejusmodi interdicerem, & post probe observatum vitæ regimen, illis solummodo

Q 2

ferum lactis cum pauco melle remixtum, per aliquot septimanas hauriendum porrigerem.

*S*ed cum in vesicæ calculo satis diu jam existimationem perdiderint hæcce lithontriptica, nostro nunc tempore in Anglia innotuit famosum illud, calculum vesicæ dissolvens, magno sane pretio a proceribus ibi redemptum & publici juris factum, remedium, cujus basis sapo communis, adjectis calcinatis concharum vel ostreorum testis aut involucris; cujus remedii, in boli vel pilularum forma, ingens pondus quotidie, per multos menses imo annos deglutiendum inculcatur, si hoc recusat ob nauseam aut alia incommoda ægrotus, frustra expectabit desideratum effectum. Solvendi hujus medicamenti modus sive energia, a caustica virtute calcis & lixivio alcalico concentrato, imprimis expectanda est; nimirum pinguis & oleosa saponis pars, dum productum hoc artificiale humoribus nostris in primis viis admiscetur, recedit ab alcalino acerrimo sale, & solutum ab humoribus inquilinis, lixivium acre denuo constituit, quod successive totam cruoris lymphaticam partem in laticem alcalicum convertit; & per renes secretus hic liquor ad vesicam delatus, calculi vesicæ gluten sensim extrahit, tempore satis quidem longo, prout durior vel spongiosior ejus compages est; lotium tunc emissum alcalinum magma spirat, & in lixivium conversum illud deprehendi, cum aliquando, hocce decantato remedio periculum facerem, in paupere quodam ægroto, vesicæ calculo vexato, qui vero, postquam per 6 septimanas circiter hocce remedium, præscripta methodo, adsumpsisset, calculi dolores tolerare maluit, quam diutius illo uti, ob nauseam, cardialgiam & vehementes spasmodicas constrictiones, quibus quotidie conflictabatur post adsumptum remedium.

Meliori effectu forſitan, & minori incommodo, pro hoc ſcopo, adminiſtrabitur aqua calcis vivæ, quam oſtreacodermata exuſta præbebunt; ſi libræ unæ hujus calcis octo libræ aquæ communis affunduntur; aqua poſt effervescentiam & extractionem reſidua filtrata, ad libras 3 vel 4 quotidie pota, egregium veſicæ calculum diſſolvendi vim, * teſte clariſſimo Ediburgenſi Medico Whytt poſſidet, confirmante hoc celeberrimo Meadio, Britanniæ Regis Medico. Sic quoque attendi merentur, quæ de calculi diſſolutione inſtituerunt nuper experimenta, cum thermarum Carolinarum aqua, in myſteriis naturæ eruendis verſatiſſimi Viri Lieberkühn & Springfeld, in peculiari diſſertatione ab hoc enarrata.

Cum vero felici ſucceſſu, (ob curationis moram) plerumque deſtituantur calculi hujusmodi tentatæ diſſolutiones, unicum ægrotis, calculo veſicæ preſſis, reſtat auxilium, quod inciſione denique ad extraneum corpus hocce extrahendum, impetrari poteſt, quæ operatio noſtris temporibus adeo eſt exculta, ut plus doloris quam periculi inde reſultet, præcipue ſi laterali inciſione, juxta tuberoſitatem oſſis iſchii, veſicæ apertura perficiatur, methodus jam olim a Celſo deſcripta a fratre Jacobo (Frere Jacques) reſuſcitata, a Ravio Amſtelodami perfecta, a Cheſeldenio Londini, & a Morando Pariſiis feliciter deinde prosecuta eſt, de cujus feliciſſimo ſucceſſu, a clariſſimo Ravio in centenis aliquot experto, per quinquennium teſtis ocularis fui; multaque particularia de determinato inciſionis loco, æque ac de curationis poſtea modo ſuppeditare poſ-

* Confer. Alſtonii Differt. de Calc. viv.

ſem, ſi inſtituti mei ratio, id fuſius nunc exponendum, mihi permitteret.

DE VENTRICULI *INFLAMMATIONE.*

SECTIO XI.

SIcuti in omnibus corporis humani viſceribus, quæ multo cruore, per copioſa arteriarum vaſa allata, irrigantur, inflammationes & inde natæ febres acutæ inflammatoriæ poſſunt exiſtere; ita ventriculi muſculoſa membranacea compages, rete vaſculoſo ſanguifero denſiſſimo intertexta, ab inflammatoria obſtructione penitus immunis eſſe nequit, quamvis ejus fabrica, læſionibus difficillime obnoxia, ab ingeſtis acrioribus corrodentibus, maxime in conſuetis, parum affici ſoleat, quamobrem neglecta hæcce conſideratio, multis anſā dedit commiſſis in medica praxi erroribus.

Cognoſcitur hæcce inflammatio, præcipue ex dolore acerbo, pungente, in determinato quodam ſtomachi loco, cum ſingultu vehementi, vomitu ab ingeſtis irreſiſtibili, cardialgia ſumma & acuta febre continua, conjunctis. Cauſas generaliores diverſas, quæ in aliis corporis noſtri viſceribus inflammationes efficere ſolent, ſine noxa plerumque fert & tolerat ſtomachi peculiaris valida ſtructura, quare vehementiores eas eſſe oportet, quæ in hoc cibi & potus receptaculo inflammationem ſuſcitare poſſunt; Sic Arſenicum, Mercurius ſublimatus & alia mineralis

ut & vegetabilis ac animalis regni ſimplicia aut compoſita producta, ſub veneni appellatione ſatis cognita, præſentaneo æſtu inflammatorio, utplurimum funeſto, ventriculum aggrediuntur, quod præter Wepferi (1) allata innumera fere exempla, quotidiana comprobat experientia. His adnumeranda ſunt draſtica quædam remedia, incaute, vel in doſi excedente ab ignaris exhibita. (2) Hiſce accedunt nimia helluonum, hujus viſceris repletio, qui crudo & difficillimæ digeſtionis cibo ventriculum opprimunt; porro ſi magna potus gelidiſſimi copia, imprimis glacie mixta, a ſitibundo & a laboribus valde exæſtuato homine ingurgitatur, aut ſi horæi fructus artificiali glacie incruſtati, in copia intruduntur corpori æſtivo calore ſudoribus diffuſo, &c. ſubita ab hiſce cauſis neceſſario introducta vaſorum ſanguiferorum conſtrictio, cruorem in ultima arteriolarum diſtributione ſiſtet, & proximam inflammationis cauſam conſtituet vehementiorem propter vaſorum maximam ventriculum ambientem copiam.

Idcirco ſumme periculoſa deprehenditur iſta inflammatio & utplurimum exitialis, niſi ſubito auxilium afferri poterit. Sic a venenis hauſtis brevi lethalis erit, niſi ſtatim Olei Olivarum vel Amygdalarum aut cujuscumque pinguedinis fuſæ ingens copia continuo ingurgitatur, donec vomitus frequens inde excitatus, corrodens illud ſumme noxium penitus iterum exturbaverit; ita ſervatum & ex orci faucibus ereptum vidi virum quinquagenarium, cui ex deteſtabili errore & inadvertentia, loco pulveris tem-

[1] Wepf. in libro de Cicuta aquatica. c. 21, &c.
[2] Vid. celeberrimi Hoffman. Opuſcul. patholog. pract. Decad. 2. Diſſert. 7.

perantis rubri, præcipitatus ruber mercurius, ad Unciæ quadrantis pondus deglutitus, dirissima symptomata convulsionibus stipata produxerat. Interim auxilium hocce nec per brevissimum temporis spatium differendum est; quamprimum enim, a valida corrosione inflammatio jam facta & absoluta est, tunc vomitus ultro existens, summe noxius, potius cohibendus quam excitandus, cum inflammationem adaugere & ad gangrænam disponere soleat. Inflammatione per signa sua, quæ antea recensui, detecta, statim magnam sanguinis copiam emittere convenit, & ad demulcendam fibrarum irritationem & stricturam, tepida demulcentia liquida acidiuscula, in parva d si, ne vomitum excitent, sæpius repetenda, hauriri debent, quo scopo, hordei, avenæ vel panis biscocti decoctum, in quorum singulis libris Nitri scrupuli dimidium solutum, adjectis Citri succi guttulis aliquot, unice conveniet; Eumdem in finem, clysmata emollientia sæpius injecta valde necessaria sunt; Carnis pulli gallinacei tenue decoctum ad nutritionem sufficiet, neque aliud nutrimentum concedendum si ancipiti & periculoso morbi progressu, inflammatio ventriculi scirrhosum tumorem in ulcus carcinomatosum desinens relinqueret, quem tristem morbi statum, perpetuo dolore cardialgico, ructibus & vomitionibus quandoque purulentis cruore mixtis affligentem, per aliquot annos protractum in viro consulari, ætatis annum sexagesimum quartum agente, expertus sum; in ultimo morbi hujus atrocis stadio, nutrimenta liquida blanda, in parva copia per cannulam atracta intromittere cogebatur; post mortem denique insecutam, non nisi clanculum sive furtim, defuncti stomachum aperiendi copiam, a domestico exiguo munere, obtinui; ad digiti lati-

tudinem ſub œſophagi in ventriculum insertione, tumorem versus coſtas ſpurias, exulceratum, diametri duorum fere pollicum, ichorem cadaverosum fœtidum eructantem & in peripheria inflammatum detexi, reliqua curatius exploranda mihi tempus non concedebatur. Interim recordor me casum fere ſimilem reperiiſſe in Commentariis Academiæ Regiæ Pariſinæ. *

Violentam præterea ſtomachi inflammationem offendi in illuſtriſſimo Viro, Procerum noſtrorum quondam primario, cujus coquus, in arte ſua peritiſſimus; Horatii temporibus jam decantatas hillas, palato ſubtili Domini ſui adeo gratas aliquando paraverat, ut illarum ſex libras circiter ponderantes uno prandio, ingurgitaſſet helluo noſter; interim nimia ferculi hujus ingurgitati portio, ſtomachum undique expandendo & cruoris vasa comprimendo, inflammatoriam obſtructionem produxit, quæ paulo poſt vehementi conſtrictione ſpasmodica in cordis ſcrobiculo, ſumma anxietate, ructibus & vomendi conatibus moleſtiſſimis, alvique adſtrictione pertinaciſſima ſe manifeſtabat, ſubsequente mox acuta febre & ſymptomatum tam valida exacerbatione, ut convulſivi hinc inde musculorum motus percepti, funeſtum exitum insecuturum annunciarent. Accerſitus, ſtatim larga & repetita ſanguinis detractione, ulteriorem inflammationis progreſſum ſiſtere tentabam, clysmata emollientia cum R. Squillæ pulver. mixta, ſæpius injicienda erant; ſtomachi inflammatorium æſtum per emetica augere, periculosum valde erat, interim vomendi ſummus labor, expulſionem contenti nocivi urgebant; ambiguam itaque evacuationem tentare

* Vid. Mémoires de l'Académie Royale des Sciences de Paris de l'année 1704.

mecum constitui, quo scopo Tamarindorum decoctum cum Manna, pauco Nitro mixtum, parva dosi, sæpius reiterata, deglutiendum exhibui; irritatus tunc per clysteres venter, pylorum constrictum solvere videbatur, quo magna simul in ventriculo occlusa portio ad intestina devoluta per anum rejecta, vomendi, conatus frequentiores paululum imminuit, copia interim notabilis per œsophagum rejecta, stomachi expansionem violentam relaxando, cruoris staseos resolutionem concessit, antequam ulcerosa aut gangrænosa vasorum destructio insequeretur.

Similis fere morbus, sed ab alia causa introductus, accidit hic illustrissimo quodam belli Duci, Viro corporis habitu robutissimo, vitæ generi dissolutæ & comessationibus assueto, qui postquam in prandio sumptuoso & instructissimo, vini generosioris abundantia ventriculum repletum valde exæstuasset, inter bellaria, horæorum fructuum, crustæ glaciei artificialis obductorum, ingentem copiam ingurgitavit, nocte insequente quidem, post perpessos ingentes cardialgicos colicosque dolores, superfluos vomitu superveniente rejecit cibos, glaciei devoratæ frigus interea obstructionem inflammatoriam in stomacho jam perfecerat, id quod postero die symptomatum exacerbatio & febris acuta cum siti inexplebili & rejectis semper haustis liquidis, satis superque confirmabant: Quibus perceptis, magnam statim cruoris copiam e vena secta emittere jussi, quæ venæ sectio post 12 horas repetita iterum fuit, clysmata omni trihorio injiciebantur, & abdomen fomentationibus emollientibus oleosis tegebatur; omnem preterea cibum interdixi, & primis morbi diebus nil nisi exigua portio decocti hordei cum Nitri pauxillo,

ter vel quater horam deglutiebatur ; Venæ sectio tertio die repetita, febris æstum aliquo modo compescuit , & vomitus crebriores cohibiti, majorem liquidorum copiam adsumere permittebant ; dolore quinto die valde diminuto , potio ex jure carnium tenui, adjecto Citri & Arantiorum succo, concedebatur. Decimo tertio tandem die febris disparuit cum vomendi conatibus, & lotium ruffum* valde & turbidum , initio absque sedimento, copiosum, roseo albicans furfaraceum magma denique deposuit, sicque æger ab erebi litore reductus fuit.

Prosperum ejusmodi morbi hujus eventum minime obtinuit famosus ille Medicus la Mettrie , qui machinæ suæ humanæ nimium indulgens, postquam ferinæ carnis, crusta siliginea inclusæ & incoctæ portionem incredibilem devorasset, & paulo post febris inflammatoriæ symptomata consecutus esset , sola venæ sectione, quater vel quinquies omni die repetita , morbum debellandum esse credidit, neglecto penitus tenacissimo hoste in stomacho detento ; de hujus expulsione non satis sollicitus , (quod prima statim die per lene emeticum obtinere potuisset) febris inflammatoriæ causam proximam adauxit , & cum nimis tarde alvi adstricte solutionem frustra per clysmata tentasset , die postmodum 7 vel 8, inflammatio in gangrænosum ichorem dissoluta est ; corrupta autem hæcce materies ad cerebrum rapta , phrenitidem cum delirio perpetuo introduxit; in hoc morbi funesti statu , sudore frigido perfusum inveni ægrum , cui medicinæ faciendæ locus non amplius erat, nullo artis auxilio succurrendum, die enim a morbi ingressu 14 in ætatis flore, machinæ suæ destructionem perpessus est , qui a morbo hoc relevatus , si diutius vixisset, machinæ suæ ortum & motorem

forsitan melius agnovisset, nimirum si ætas maturior ingenii sui acuti æstum immodicum temperasset.

Gangrænam a stomachi inflammatione ortam, reperi in dissecto cadavere militis, a morbo hocce die 15 perempto; referebat mihi Chirurgus, defunctum, in maximo, qui tunc observabatur, æstatis calore, per 5 vel 6 horas valide armis exerceri coactum fuisse, domi reversus exæstuans valde, & sudore perfusus, ingentem copiam aquæ gelidæ, exutis vestibus, ingurgitasse, nocte insequente horrore correptus, febris appropinquantis indicias sensisse, celasse hanc febrem primis diebus, donec in acutam degenerans, auxilium Chirurgi implorasset; ex cujus ulteriori relatione nihil aliud percipere potui, quam quod post venæ sectionem administratam & medicamenta debita propinata, defunctus die morbi nono delirare incepisse, & in hac mentis alienatione decimo-quinto die expirasse, &c. in secto cadavere, mixtum fuscum ex potulentis & ichore fœtido in stomacho fluctuabat, cujus fundus inflammatus maculas nigricantes multas, & nonnullas latas valde tunicam interiorem perforantes, exhibebat; inflammationis communicatæ vestigia in duodeno, ima jecoris parte, vesica fellea a bile vacua, & in coli portione quæ stomachum respicit, conspiciebantur, in visceribus reliquis nullum detegendum erat vitium.



DE INFLAMMATIONE *INTESTINORUM* ET DYSENTERIIS VARIIS.

SECTIO XII.

UTI Stomachus, ſic & Inteſtina febribus acutis inflammatoriis eſſe obnoxia, teſtatur experientia, quod non adeo insolitum videtur eſſe, ſi inteſtinorum extensam amplitudinem & imprimis functionem perpendimus, qua recipere & immutare tenentur quandoque varia nociva acria, virulenta imo toxica, vel extrinsecus ſub nutrimenti aut medicamenti ſpecie ingeſta, vel intus ab aliis corporis visceribus huc allata ſive propulsa materia corrupta, febrilis, critica, purulenta, gangrænosa, aut atrabilaria in plicis tunicæ villosæ retenta, quæ vi ſua rodenti inflammationem creare poterit.

Cum autem periculosus hic inteſtinorum affectus, acutum, ex inflammationis indole, ardentemque dolorem, in loco affecto creet, tranſitus liquidorum ibi, quæ ex adsumptis nutrimentis, chylum conſtituunt, licet non valde acria ſint, dolorem tamen, irritatione loci inflammati vehementer adauget, unde motus inteſtinorum naturalis periſtalticus concitatus, in convulſivum fere tranſit, fibras vehementiſſime irritat, cavitatem canalis claudit, flatus accumulat, & ſic conſtricto inteſtino, & alvo clausa, motum

quandoque retrogradum versus ſtomachum excitat, quo fit, ut ex inteſtinis regurgitantia liquida, æque ac illa, quæ potus introduxit, per vomitum ſæpe rejiciantur, perdurante interim febre acuta, cum torminibus & borborygmis acutiſſimis ſtipata; quæ vehementior inflammationis inteſtini gradus, niſi reſolutione benigna primis ſtatim diebus levatur, absceſſum ichorosum vel gangrænosum producit; ileum vel etiam volvulum inde originem trahere exemplis apud Autores, & practicis observationibus evincitur.

Nimirum Ileum apud Autores veteres illum inteſtinorum affectum deſignat; ubi inflammatio a cauſis ſuis orta, in loco inflammato omnem tranſitum contentorum impedit; derivatur enim ab εἰλέω coarcto, concludo, cum locus inteſtini inflammatus, ob vasorum ſanguiferorum multitudinem, intumescat valde & cavum fiſtulæ occludat. Volvulus vero, Ileo affinis morbus, ab εἱλέω (cum aspiratione) volvo, circumago, nomen videtur acquiſiviſſe, cum illum intestini affecti ſtatum indigitet, ubi canalis hujus portionem quaſi convolutam & contortam ſentiant ægri, id quod *Aretæus* (1) & *Cælius Aurelianus* (2) appellatione hac indicare videntur. Medici autem recentiores, ſub volvuli nomine ſimul comprehendunt, mutuum illum inteſtinorum ingreſſum, ubi portio quædam inteſtini coarctati, intra vicinam dilitatam portionem ſe recipit, quod & introsusceptionem vocaverunt Autores nonnulli. *Celsus* præterea refert (3), Dioclen Chariſtium, tenuioris inteſtini morbum χόρδαψιν, a χόρδη, inteſtinum, & δάπτω, dilanio, inteſtini dilaniationem nominaſſe; plenioris ſeu craſſioris verò inteſtini

[1] De Cauſ. & Sign. Morb. acut. l. 2. c. 6.
[2] Acut. morb. libr. 3. cap. 17.
[3] Libr. 4. cap. 13. & 14.

affectum εἰλεὸν, coarctationem inteſtini craſſi, appellaſſe; ſed a plerisque illum primum εἰλεὸν, hunc κολικὸν nominari, addit *.

Hæc ultima denominatio, colicus nempe morbus, generaliorem ſignificationem, imprimis apud plebem & artis imperitos nacta eſt; hi omnes inteſtinorum & imi ventris, quos dolor acutus proſequitur morbos, Colicam appellant, inde colicæ flatulentæ, ſpasmodicæ, bilioſæ, nephriticæ, hypochondriacæ, hyſtericæ, hæmorrhoidalis, verminosæ &c. diſtinctiones introductæ fuerunt, quamvis maxima horum affectuum pars, ſymptomatice ſolummodo, ob conſenſum nervorum paris vagi, inteſtina afficiat, & morbos, qui idiopatice ſive immediate hos canales infeſtare ſolent, uti inflammatorias obſtructiones, tumores ſcirrhosos, ſuppurationes, gangrænas &c. utplurimum negligunt; hi tamen admodum periculoſi affectus, perversa curationis methodo ſæpius ab imperitis ex neglecta diagnoſi, producuntur, præcipue, ſi colici hi dolores promiscue, medicamentis carminativis, calidis, aromaticis, ſpirituoſis aut purgantibus draſticis aggrediuntur. Sanatio autem diversarum ejusmodi Colicæ ſpecierum, ex fontibus iſtis repetenda, ubi morborum iſtorum, quorum ſymptomata ſunt, cura traditur.

Sed miſſis hisce, inteſtinorum inflammationis ulterior indagatio prosequenda eſt; cujus præſentiam, exploratis ſubinde cauſis prægreſſis, monſtrant ſigna hæcce diagnoſtica: dolor ſentitur vehementisſimus, plerumque uno certo circumscriptus, loco, febris acuta continua ſubſequitur cum pulſu pleno, duro, calore intenſiori & ſiti ingenti lotium cons-

* Confer. Alex. Trallian. de Arte Med. l. 10. c. 1. ubi ileum & chordapsum ſynonima ſunt.

picitur rubrum flammeum, alvus clausa est, nausea & vomitus quandoque infestant, ægrotus subitaneam valde virium prostrationem patitur.

Vehemens iste, ex signis hujusmodi, detectus, portionem intestini occupans, inflammationis gradus, citam satis obstructi resolutionem postulat, ne in suppurationem abeat stasis hæcce inflammatoria, aut tumorem scirrhosum cavitatem intestini occludentem, producat, qui in ulcus cancrosum denique degenerare solet. Quare statim copiosa sanguinis missio instituenda & urgentibus symptomatibus repetenda est; *Aretæus* (1) sanguinem ad animi deliquium usque detrahere jubet, & *Hippocrates* (2) *de capite & cubitis detrahendam cruorem præcipit, ut scilicet superna alvus calescere desinat.* Idemque *Celsus*, (3) qui & cucurbitulas pluribus locis admovendas esse suadet. Postea clysmata antiphlogistica, refrigerantia, mollia, ter, quater & ultra de die injicienda sunt ad dolores spasmodicos mitigandos, alvum laxandum & impactum inflammatorium resolvendum. Clysmata quidem, inflammatione in tenuioribus intestinis hærente, locum læsum non attingunt, interim resorbetur continuo, per venas bibulas, subtile molliens ex illis, & sanguinis circulo committitur, diluendum obstructum, præterea fomentationis officio funguntur clysteres, ad constrictionem spasmodicam, quæ dolores hujus morbi intolerabiles sustinet, relaxandam. Confici lotiones ejusmodi ex furfure tritici, chamomilla & lini semine contuso, coctis & colatis, adjiciendum oleum

[1] De curat. morb. Acutor. libr. 2. cap. 5.
[2] De morb. libr. 3. c. 15.
[3] De Re Medic. libr. 4. c. 13.

oliva-

olivarum cum pauco melle. Cum omne nutrimentum fastidiant ægroti hi, vel etiam per vomitum rejiciant adsumpta, nihil aliud concedendum præter carnium jus cui incoctæ fuerunt Radices Cichorei, Scorzoneræ, Petroselini aut Sisari, &c. addito si placet ovorum vitello; hocce nutrimento potabili præcavetur scybalarum, versus intestinum inflammatum congestio, quæ huic morbo funesta erit si cautela hæcce negligitur. Deinde si dolor atrox persistit, reliquaque hujus morbi symptomata valde urgent, præ reliquis confert abdomen a cordis scrobiculo ad pubem usque, fomentationibus emollientibus, assiduo renovandis, obtegere, quibus mirifice sæpe dolor immanis mitigatur; huic scopo satisfaciendum decocto ex speciebus emollientibus, cum tertia parte olei cocti chamemeli in quo parum camphoræ solutum erat, permixto. Huic cocturæ calidæ panni frusta ex gossipio texta immerguntur, & contorta paululum super abdomen extenduntur.

Hæcce curandi methodus mihi proficuus fuit, quando juvenis, 26 circiter annorum, hoc morbo gravissime detentus, auxilium meum acriter implorabat; de dolore acutissimo in dextri lateris iliaca regione conquerebatur, pulsus erat plenus & celerrimus, & spasmodicæ constrictiones, motum diaphragmatis stringentes, cardialgiam molestissimam fovebant, alvo interim strictissime clausa manente, & febre acuta absque intermissione persistente. Cum in causam adfecti hujus inquirerem, relatum mihi fuit, vitæ regimen dissolutum semper fuisse, & commessationibus perpotationibusque continuis indulsisse ægrum, præcipue per duo vel tres septimanas antequam morbum hunc contraxisset. Ex corpore robustissimo & plethorico, cum sufficientem cruoris inflam-

mati copiam detrahere, & poſtero die hanc detractionem repetere curaſſem, vidi aliquomodo ſymptomatum violentiam debilitari, ſed febrilis æſtus parum imminutus adparebat, & alvus, quamvis clysmatibus frequentiſſimis ſollicitata, vix veſtigium excernendorum monſtrabat; lotium ruberrimum flammeum excernebatur, non obſtante potu aſſiduo aquoſo ſubacidulato pro ſiti inexſtinguibilis exigentia ingeſto; Interea, cum neque reſolutionis inflammatoriæ ſtaſeos ſigna, neque ſuppurationis adparerent, & decimo-quinto a morbo inchoato die, metaſtaſis ad lateris dextri pulmonem, dolorem cum exſcreatu materiæ purulentæ ſanguineæ licet in minori copia monſtraret, & pasmodicæ abdominis ſtricturæ ad epilepticos motus usque accreſcerent; in caſu hoc ancipiti die decimo-ſexto & ſubſequente duas largas adhuc ſanguinis emiſſiones inſtituendas jubebam, clysmatibus & alvi fomentationibus inſuper ſtrenue continuatis, die tandem decimo-octavo, diarrhoea, vehementiſſimis doloribus comitata prorupit, excrementa exhibens immenſæ copiæ, & fœtoris adeo intolerabilis, ut adſtantes quaſi auffugere coacti fuere. Lotionibus alvi continuatis, critica hæcce diarrhœa, dolorem cum febre ſucceſſive diſſipavit, & æger denique ſanitati reſtitutus fuit, poſtquam per duos menſes integros, dolorem obtuſum in affecto loco adhuc perpeſſus eſſet.

Volvulus, inteſtini inflammati quandoque comes, in diſſectis, hoc morbo defunctis cadaveribus, nonnunquam reperitur, ſcilicet viſui ſe offert, cum inteſtini portio quædam conſtricta, proximum dilatatam ingreditur. *Hippocrates* reliquique græci Medici hujus affectus mentionem diſtinctam non faciunt, quamvis *Aretæus** inteſtini inflammati ſympto-

* De cauſ. & ſign. morb. acut. l. 2. c. 6, &c.

mata optime explicuerit; inde accidit quod ex neotericis multi magni nominis Medici, mutuum hunc inteſtinorum ingreſſum, quem meſenterii arctior nexus impedire, videtur, penitus negaverint. Sed fides omnino habenda viris in arte conſumatiſſimis, qui inteſtini introſuſceptiones ejusmodi in cadaveribus reperierunt & adſtantibus demonſtrarunt, inter quos nominari præ reliquis merentur *Williſius*, (1) *Peyerus*, (2) *Ruyſchius* (3) & clariſſimi *Edinburgenſium* obſervationum collectores (4). Sic & ego in filiola bimeſtri, diriſſimis convulſionibus ſubito trucidata, volvulum in portione inteſtini ilei detexi, ſuperior pars ad trium fere pollicum longitudinem in inferiorem erat intruſa, flatibus valide extenſa erant inteſtina tenuia, ſed nec inflammationis ullum veſtigium detegere, nec convulſionum cauſas cognoſcere potui, exortas forſitan a ſubita cordis ſpasmodica ſimul conſtrictione ſanguinis circulum præpediente, & inflammatoriæ ſtaſeos formationem in convoluto inteſtino avertente. Reciprocus hicce ingreſſus inteſtinorum in cavum alterius, occaſionem præbuit excogitandi remedium, quod inteſtinorum fiſtulæ commiſſum, vi ſua & pondere, portionem iſtam inteſtini introſuſceptam extrudere iterum & in ſitum naturalem denuo redigere, potens ſit; in hunc finem aliqui, uti *Helmontius*, globulos plumbeos deglutiendos ſuadet (5). Nonnulli, ut *Zacutus Luſitanus* (6) & ab *Heers* (7) cum celeberrimis

[1] *Willis.* pathol. cerebr. c. 8.
[2] *Peyer.* Parerg. anat. exercit. 1. cap. 9.
[3] *Ruyſch.* Obſ. anat. chirurg. 91, &c.
[4] Medical Eſſais, tom. 5.
[5] Tralianus catapotia ex plumbo. lib. 10. c. 1.
[6] Libr. 2. hiſt. 97.
[7] Obſ. Med. 2. l. 1.

viris *Hoffmanno* & *Meadio* * argentum vivum ad libræ unius alteriusve pondus ingurgitandum exhibent, aliqui proſperum, funeſtum vero alii ſucceſſum inde conſecuti ſunt; hiſce ultimis me ipſum annumeror, qui liquorem hunc metallicum, ad viginti Uncias hauſtum quidem vidi, ſed nihil aliud effeciſſe deprehendi, quam quod ægroti obitum pauliſper acceleraret. Fallax omnino eventus inde emergere debet, quoniam ſigna pathognomica deficiant, ex quibus certo concludere poſſumus, volvulum, ſive partis inteſtini in vicinam portionem ſeceſſum, ſine dubio in ægro adeſſe, multo minus adhuc arguere poterimus, num pars ſuperior in inferiorem intruſa ſit, vel vice verſa; nam ſi inteſtini ſuperior portio, quæ ſtomachum reſpicit, in inferiorem propulſa eſt, tunc ad partem affectam delata, argenti vivi moles, interceptam inteſtini portionem, dilatando ejus ſuperiorem partem, neceſſario illam magis occludet & ſuffocabit, quam expediet aut evolvet, proinde mortem accelerare potius, quam ſanitatem reſtituere apta eſt ingens metallici hujus fluidi pondus; quare in caſu ſolummodo deſperato adhibendum eſſe arbitror, ubi anceps remedium aliquando præſtat quam nullum.

Cum ſigna hujus morbi, ratione cauſarum, æquivoca valde ſint, medentium omne conſilium, (ratione prius habita inflammationis diſſipandæ) eo dirigendum eſt ut alvi adſtrictio, quæ pertinaciſſima utplurimum eſſe ſolet, inflammationemque ſi non produxit, tamen fovere non deſinit, quantocius relaxetur. Ad ſcopum hunc obtinendum non deſunt medicorum, in purgantibus etiam draſticis exhibendis, ſuppetiæ, quo vero ſucceſſu, triſtis utpluri-

* Mead Monit. Med. p. 114.

mum eventus comprobat ; Nimirum inflammatoria obstructio, æque ac intestinorum spasmodica constrictio adeo per remedia ejusmodi acria stimulantia augentur, ut brevi subsecuturæ sint aut suppuratio, aut gangræna ipsa in parte affecta. Quare præter Tamarindarum decoctum, Mannam & Rhabarbari Extractum, cum pauco Tartaro Tartarisat. acuatum, nihil secure & sine noxa ex purgantibus remediis exhibere possumus ; Clysmata interim superius memorata tutissimo semper præsidio erunt morbo huic gravissimo. Interim cum inefficacia aliquando, in pertinacissimæ alvi constipatione, deprehendantur medicamenta hactenus enarrata, jam ab omni tempore etiam inusitata, ad experiendum commendata fuere remedia ; Sic *Hippocrates* (1), post quævis incassum, quæ recenset, adhibita medicamina, folle fabrili aerem in anum immittere jubet ; *Sydenhamus* (2) herbæ Nicotianæ fumum in intestinum rectum per tubulum aptum validissime insufflandum præcipit ; pro commoda fumi hujus copiosa applicatione, *Heisterus* (3) in arte qua manu medemur clarissimus, instrumentum invenit, quod in Instit. chirurgicis suis delineare curavit ; de optimo hujus fumi inflati effectu bis testis fui. Alii, de quibus antea jam mentionem feci, metallicis corporibus solidis, in globulos redactis, vel fluidis, ut argento vivo, deglutitis, obstructiones contumacissimas aggrediuntur, dubio interim valde eventu, experientia sæpius repetita id comprobante.

Non possum, quin hac occasione mentionem faciam, ilei cujusdam gravissimi, quo corripieba-

[1] De Morb. libr. 3.c. 15.pag.m. 106.ita & Trallian. l.10.c.1.
[2] Vid. Schedul. monitor. de nov. febr. ingress. p. 671.
[3] Vid. part. 2. p. 1102.

tur Medicus celebris, amicus meus integerrimus, calor ingens, febris continua acuta, lotium ruberrimum, dolor vehemens in abdominis regione epigaſtrica, alvus penitus adſtricta cum nauſea & vomendi conatibus continuis, &c. ſatis ſuperque monſtrabant inflammationem portionis cujusdam inteſtini ſubeſſe, ægrotus, artis ſalutaris peritus, omnia, ad morbum hunc compeſcendum, ſucceſſive adhibebat medicamina convenientia & uſu comprobata, ſed ſine ullo ſymptomatum levamine; dolores alvi ſpaſtici intolerabiles, cum alvi adſtrictione pertinaciſſima, clysmatum injectiones omnes eludente, ægrotum in ſummam corporis animique debilitatem conjiciebant, quæ in culpa erant, ut ſibi amplius conſulere nequiret; In ancipiti hocce morbi ſtatu, amicus meus facile condeſcendebat in quodvis conſilium ad morbum ulterius aggrediendum illi propoſitum: diem jam ſeptimum in torminibus iſtis atrociſſimis expleverat, cum inſtrumento idoneo, magnam fumi tabaci copiam in anum, non ſine magna vi inflare curavi, poſtmodum balneo ex furfure & emollientibus herbis parato, ad pectus usque immergebatur, in quo per horam circiter detentus fuit. Abdominis hæcce relaxatio, adjuta fumi Nicotianæ ſtimulo, cum flatibus propulſis, fæcum avulſarum aliquod veſtigium exhibebat; Sed cum alvus nimium clauſa, nihil præteræa expellere potuit, poſtero mane iterum fumi valida inflatio cum balneo molliente repetebantur, quo facto maximo conamine, ad convulſivos fere motus deducto, extrudebantur globuli ad lapidis duritiem fere exſiccati, compacti ex uvarum pelliculis, quarum ingentem copiam ante duas ſeptimanas comederat, deglutitis ſimul pelliculis iſtis, quæ globulorum baſim conſti-

tuebant, quique cruoris purulenti ſtriis, hinc inde cincti ſimul in conſpectum veniebant. Remotis hisce obſtructionis validiſſimæ obſtaculis, vehemens dolor cum febre remiſit ſucceſſive & ſanitati integræ tandem reſtitutus fuit ægrotus, poſtquam per duos menſes nihil nutrimenti adſumpſiſſet, quam carnium juscula, quibus herbæ & radices temperantes, ad levem inteſtini exulcerationem detergendam, incocta erant, & pro potu vinum multa aqua remixtum. Quidquid aqua frigida copioſe ingurgitata, vel, monente *Tralliano* (1), per clyſteres introducta, aut exterius ad perfundendum pedes, femora & abdomen ipſum, experimento *Edimburgenſis* (2) Medici, in alvi ab ileo obſtructione tenaciſſima, efficere valeant, ulterioribus experimentis relinquendum.

In ileo non raro inteſtini inflammati portio abſceſſum format, qui cognoſcitur horripilatione vaga per totum corpus ſe manifeſtante, & febris acutæ aliquali remiſſione, perſiſtente in loco affecto ſtuporis aliquo modo prementis ſenſu; ſi tunc ulcus ruptum in abdominis cavitatem pus effundit, funeſta inde expectanda brevi erunt ſymptomata; in inteſtini cavum vero apertum ulcus, purulentam materiam per anum emittere poterit, quæ morbum hunc ſub ſpecie dyſenteriæ putridæ aliquando ſolvit. Sed ingens quandoque tunicarum inteſtini ab inflammatione caſſities exoritur ſive tumoris ſpecies, quæ canalem occludit, & exitioſam puris collectionem producit, quemadmodum in militis, ileo defuncti cadavere inciſo, detexi; in tenuioris inteſtini portione, quæ ſtomachum reſpicit, notabilis di-

[1] Lib. 10. cap. 1.
[2] Tom. 5, &c.

latatio apparebat, hæc ſaccum pendulum gangrænoſum, ovi gallinacei magnitudine, ichore putrido repletum; poſterior autem hujus inteſtini portio, quæ ſacco continua erat & anum reſpiciebat, adeo indurata deprehendebatur, ut canalis cavitatem penitus occluderet, & ſtilum valde tenuem admittere recuſaret; partes contiguæ omnes ex atro purpurei coloris gangrænam exhibebant omnino funeſtam (1). Si in ſcirrhoſum tumorem degenerat hæcce inteſtini inflammatio, tunc ſucceſſive & quandoque longo ſatis temporis intervallo, ejusmodi inteſtini coarctatio & occluſio formatur, unde aliquando, motu periſtaltico inverſo, a ſpasmis validis producto, vomitus etiam ſtercorei & purulenti oriuntur, teſtibus *Hippocrate* (2), *Sydenhamo* (3), aliisque. Sic novi olim virum quinquagenarium, probum & eruditum, qui a morbo hoc perpeſſo, dolorem retulit obtuſum prementem, ad tres pollices ſub umbilico verſus latus ſiniſtrum ſubſiſtentem, tertio tunc anno, ubi mihi innotuit, ex cibis nihil, præter carnium jus & hordei, avenæ aut oryzæ decoctum tenue adſumere potuit, ſolidum nutrimentum quodvis vomitu rejiciebatur, alvus aliquando pituitæ collectæ parvam portionem reddere ſolebat, potus erat aqua cum tertia vel quarta parte vini mixta.

Medicamenta inſuper in iſto morbi gradu, ubi inteſtini inflammatio ulcus, abſceſſum, indurationes ſcirrhoſas aut carcinomatoſas reliquit, non ſatis efficacia ad ſymptomata ejusmodi eradicanda deprehenduntur, nullaque in arte, præter palliativa demulcentia, hactenus innotuere; talia ſunt infuſa

[1] Confer. Ruysch. Obſervat. Med. Chir. Obſ. 95. ſeq.
[2] De vict. rat. ſanor. lib. 3. cap. 7, &c.
[3] Syd. Sect. 4. c. 7. p. m. 260.

ex herbis floribusque vulnerariis, balsamicis & detergentibus, e gr. Agrimonia, Sanicula, Pyrola, Veronica, Hyperico &c. vel etiam ſerum lactis tenuisſimum, & imprimis Peruviani corticis decoctum, cujus ſpecificam virtutem, in corruptis humoribus noſtris corrigendis, plus vice ſimplici miratus ſum. Victus in hocce morbi ſtatu nullus alius concedendus, quam carnium juscula, quibus radices abſtergentes, e. gr. Cichor. Scorzoner. Paſtinac. Petrozelin. Sisari &c. incocta fuerint &c.

DE DYSENTERIIS,

Et in ſpecie de Dysenteria epidemica.

SECTIO XIII.

Cum ſub dysenteriæ nomine intelligatur fluxus alvi frequens torminosus, ubi materia mucida, excrementitia, corrupta, cruore mixta, excernitur; ita diversæ ſæpius causæ in corpore noſtro male affecto exiſtere poſſunt, quæ fluxum hunc excitant, cujusmodi illæ antea recenſitæ ſunt, quando a prægreſſa ventriculi, aut inteſtinorum inflammatione exulcerationes cruentæ, aut carcinomatosæ oriuntur; in his inteſtina pars affecta principalis deprehenditur. Sed & partes vicinæ fluxum hunc non raro introducunt, nimirum hepatis vomica, ichorem cruentum biliosum per ductum choledochum, & pancreatis ulcus materiam purulentam, cruore mixtam, per

ductum pancreaticum ad inteſtina ablegant, quarum dejectiones dysenteriæ ſpecies omnino ſunt. Præterea contiguum mesenterium inflammatum, ob vasa ſanguifera communia & continua, inflammationis ſuppurationem inteſtinis communicaſſe, vel pus metaſtaſim allatum in illis deposuiſſe, ad periculosam ſæpe dysenteriæ ſpeciem excitandam, ab autoribus observatum fuit: Ut taceam dolentem iſtum hæmorrhoidum fluxum, in inaſſuetis, ex ſuperiori inteſtini recti, vel inferiori coli parte ex venis proſilientem, qui ab ignaris ſæpe pro dysenteria habetur, & cum magno quandoque patientis detrimento per remedia incongrua ſupprimitur, cujus rei teſtis olim fui, cum viro robuſto in ætatis flore conſtituto, per adſtringentia & opiata hæmorrhoidum ejusmodi ſuppreſſus fluxus, ad pulmones delatus, aſthma ſpasmodicum, in ſputum cruentum denique resolutum excitatum erat, quod tandem poſt aliquot menses, non ſine phthiseos pulmonis diſcrimine ablatum, & æger ſanitati reſtitutus fuit. Denique acrimonia quævis corrodens & irritans, ſive per os ad inteſtina delata, ſive intra corpus, ex corruptis, pravisque humoribus genita, in canalem hunc depoſita, dysenterias ejusmodi ſymptomaticas efficere efficax deprehenditur, quarum origo & causæ in medica praxi ſedulo indagandæ ſunt, ne inveſtigationis debitæ negligentia, irreparabile ægroto damnum afferat, & mortem acceleret. Ad dysenterias ejusmodi ſymptomaticas referendæ ſunt omnes iſtæ ſuper hunc morbum traditæ annotationes, diagnoſim, prognoſim & medelam ejus comprehendentes, quæ Hippocrates, Alex. Trallianus, Aretæus, Celsus &c. reliquerunt, ubi difficile non eſt, dysenteriæ epidemicæ diſtincta veſtigia detegere.

Ab indicatis hujusmodi dysenteriæ ſpeciebus illa diſtinguenda erit, quæ idiopathica nuncupanda, & quæ toties epidemico impetu furens epidemice graſſatur, multis hominibus adeo exitiosa exiſtit. Signa hujus morbi diagnoſtica recensenda ſuperflua fere ſunt, cum in vulgus notum ſit, eum circa æſtatis decrementum, & erga autumnum invadere, alvi lubricitate, torminibus tranſitoriis in regione vel epigaſtrica vel hypogaſtrica perceptis, & tenesmo ſe manifeſtare, corporis gravitate & artuum laſſitudine, cum horripilationibus & vagis exæſtuationibus intercurrentibus, ægrum adoriri; mox ſequuntur injectiones alvi excrementitiæ copiosæ, torminosæ, mucosæ & biliosæ poſtea, cum ſanguinis ſtriis permixtæ: Pulsus utplurimum frequens, parvus, renitens, & intermittens quandoque percipitur, prout ſcilicet febrilis motus & exacerbationes frequentius vel tardius exsurgunt, lingua tenaci, viscosa, interdum ſicca & flava pellicula tegitur, quæ tamen oris ſiccitas ſitim non valde urget, quare ex defectu potus, & nimia humorum per alvum jactura, lotium magis ruffum, aliquando ſpumescens absque ſedimento conspicitur, unde dysuria non raro ſupervenit. In frequentiori & diutius protracto alvi hocce fluxu, vires ex defectu liquidorum proſternuntur, facies pallet, genæ & tempora contrahuntur, oculorum fulgor perit, dum cornea quaſi nubecula obducta cernitur, febris tunc increscit, aphthæ nigricantes non raro in faucibus exsurgunt, dejectiones mox loturæ carnium ſimiles, adparent, accidit denique extremorum frigus cum ſumma virium prostratione & alvi excretione pauca ichorosa, putrida, cadaverosa cineritia & ſæpius involuntaria; Supervenit in nonnullis ſingultus cum tendinum ſubsulti-

bus, pulsu parvo intermittente & ſudore frigido, quæ ſymptomata ultima, mortem appropinquantem annunciant. Quæ ſigna ordine ſubsequentia olim diligenter observavi, dum aliquot centenis, dysenteria epidemica laborantibus, medicinam facere conſtitutus fuerim.

In causas morbi hujus atrocis generaliores inquirenti, ſtatim ſe offert quævis ad inteſtina delata corrodens & irritans acrimonia, cujus efficaciam, ad colicam, diarrhœam & dysenteriam introducendam in præcedentibus jam indicavi: ſed ad penitiorem dysenteriæ epidemicæ intelligentiam non ſuperfluum fore arbitror, in ejus ortum ſive originem inquirere ad peculiarem ejus indolem contagiosam eruendam, qua ſcilicet fit, ut homines ſani & non prædispoſiti, dysenterico huic contagio ſuccumbere cogantur, quod in dysenteriis ſymptomaticis obſervatum fuiſſe, non facile conſtat. Omnes autem, de dysenteria epidemica collectæ observationes in eo coincidunt, morbum hunc circa finem æſtatis, autumno appropinquante, utplurimum invadere, eosque præ ceteris corripere, qui cibo crudo, minus ſalubri nutriti, aquas corruptas putridas hauriunt, in habitationibus ſive caſis humidis, depresſis, vento & pluvia perviis degunt, a corpori laboribus interdiu exæſtuato, aërem frigidiorem noctu, ex veſtium & tegumentorum defectu, arcere nequeunt, proinde vasa cutis perspirabilia occludunt, maxime ſi calorem æſtivum fervidum, venti auſtralis humidi calentis, excipiunt, perspirationem ad hæc magis impediunt, ſicque ſuperfluum noxium eliminandum in maſſa humorum retinent & accumulant, eorumque acrimoniam, ex insalubri victu antea jam contractam, adaugent;

Excretionis via per cutim præclusa, jam corrupti humores excrementitii, intra meseraica vasa numerosissima recepti, intestina pleno rivo petunt, in illorum tubum per copiosissima transcolatoria vascula se recipiunt, & coacervantur; accumulati, ex acri sua indole fibras lacessunt, pungunt & corrodunt, quæ prava humorum ejusmodi dispositio, in nonnullis fructuum hortensium immaturorum copiosa ingurgitatione augetur, quæ tamen ad causas accessorias solummodo referenda, cum plurimi hoc morbo corripiuntur, qui nec fructus ejusmodi degustarunt.

Acrimonia itaque huc deposita & coacervata, integram intestinorum functionem, quam ciborum digestioni eorumque ad nutritionem præparationibus, præstare solet, conturbat & pervertit, id, quod affectus abunde comprobat, cum bilis, acri stimulo sollicitata, in copia affluens, officio suo minus fungitur, nam impedita & corruptis humoribus mixta, primis statim dejectionibus dysentericis spumescens protruditur. Chylificationis negotio sic penitus intercepto, corrupti acris humorum colluvies, per lactea intestinorum & resorbentia vasa, chyli loco cruori admiscetur, crasim ejus turbat, lympham & serum acria reddit, corrumpit; tunicæ intestinorum interiores, nimirum proxima villosa, ab humore acri incumbente hinc inde dissolvitur, ut non raro integra ejus frustula tubiformes extrudantur, altera, quam villosa tegit, vasculosa nempe tunica corroditur, ex aperturis corrosis cruor expressus, corruptis liquidis, mixtus per alvum ejicitur; nisus alvum deponendi, in ratione corruptionis humorum auctæ, crebrius sollicitatur, & ex humorum corporis nostri indole, hi in calore

naturali detenti, ſibi relicti, corruptionem alcalescentem ſive putredinem inducunt, quam putridam corruptelam omnes in ſtatu naturali in inteſtinis contenti fæces, antequam expelluntur, contrahunt, & eo magis in hoc morbi ſtatu, putris ſanies augetur, quo minus novo ſalubri nutrimento inteſtina ad eam diruendam aut diſſipandam replentur.

Ex quibus conſtat, in dysenteria epidemica, virus illud inficiens contagiosum, in putredinis quodam miasmate, ad ſummum ſubtilitatis & volatilitatis gradum exaltato, quærendum eſſe, ideo ſæpius observavi morbum hunc, ſub ingreſſum & primis diebus nunquam fere contagiosum exiſtere, nec in illo ſtatu, ubi ſanguis ſincerus, fæcibus mixtus, adhuc excernitur, contagium communicare; ſed ſtatim ac tanta humorum corruptio prævalet, ubi cruor putris diſſolutus, cum reliquis fæcibus corruptis, ſub ſpecie ichoroſi, cineracei magmatis expulsus conspicitur, tunc cadaverosus ille fœtor non ſolum appropinquantes inficere, ſed etiam lintea, ſtragula, veſtimenta &c. ſqualore hocce putrido contaminata, ſimile dysentericum inficiens virus aliis tradere apta fuere reperta. Verum in tanto putridæ diſſolutionis humorum gradu, valida inteſtinorum textura minime reſiſtere poteſt ſed deſtructioni cedere cogitur, interim corruptionis hæcce veſtigia, in inteſtinis craſſis, utpote amplioribus excrementorum putridorum receptaculis, magis quam in tenuioribus reperiuntur, ita diſſectum, ad hoc detegendum, cadaver, inteſtinum rectum pænitus gangrænosum exhibuit *, & in colo inteſtino, a ſummo inflamma-

* De inteſtinorum corruptione a dysenteria, ex variis Autoribus collect. observationes. Confer. Boneti Sepulchr. anat. l. 3. Sect. 11.

tionis gradu ex atro rubente, ligamenta a corruptione dissoluta, & valvulæ villosæ tunicæ integre diletæ, detecta fuere, in tenuibus, flatu valide distentis, præter villosæ tunicæ hinc inde abrasionem inflammationis gradus notabiles detegere non potui.

Ex observatis ejusmodi docemur, quisnam dysenteriæ epidemicæ gradus sanationem facilem, difficiliorem aut penitus nullam admittit. Inflammationis extremus gradus, in gangrænam desinens & mutatus, pulsu depresso, sæpius intermittente, debilitate aucta, & dejectionibus ichorosis, decoloratis, cruore destitutis, faucium inflammatione & aphthis utplurimum succedentibus, dignoscitur, sed nimis sero tunc adhibita medicina inefficax est & æger brevi moritur. Difficillima est sanatio dysentericorum, qui ex perversa medendi methodo, medicamentis carminativis calidis, aut adstringentibus & opiatis tractati, cruorem inflammatorium impactum in vasculis, & stuporem paralyticum in fibrillis intestinorum hacce methodo acquisivere; tormina plerumque tunc evanescere solent, minus tamen succedente euphoria in languido nimis hinc reddito corpore.

Itaque in dysenteriæ epidemicæ curatione, gradus morbi imprimis explorandus est, respectu simul habito ad ætatem, temperamentum & vitæ genus ægri consuetum; cumque contagium, in hoc morbo protracto semper metuendum, necesse erit ægrotos, si plures eo morbo in uno cubiculo decumbunt, statim separare & quemlibet in locum separatum collocare, ne miasmatis inficientis nimia in uno loco collecta copia, contagium magis activum & penetrantius reddat, ad invadendum sanos in vicinia, vel ad inficiendum denuo convalescentes eodem loco de-

tentos. Quo facto, ſub initium, vel morbo in primo gradu conſtituto, explorandum eſt, num æger plethoricus valde ſit & pulsum celerem & plenum exhibeat, in quo ſtatu ſanguis, ad inflammationem pronus e brachio detrahendus, & ſi cruſtam inflammatoriam cruor monſtrat, detractio ejusmodi repetenda eſt, quod tamen rariſſime accidere ſolet; nullo autem apparente indicio plethoræ, ſanguinis evacuatio ſuperflua imo perniciosa potius exiſtit, dum vires ad morbum ſuperandum neceſſarias valde debilitat, quibus tamen in tanta, & incredibili quandoque humorum jactura, ſummopere indiget ægrotus. Compertum habeo præterea, & longa Medicorum experientia comprobatum eſt, nullam evacuationem, ad dysenteriam epidemicam ſanandam, magis proficuam eſſe quam illa quæ per vomitum absolvitur; Rationem hujus effectus reddere poſſumus, ſi conſideramus, quod excitato vomitu, humorum in inteſtina ruentium affluxus nimius, non ſolum deflectitur, & verſus ſtomachum derivatur, ſed & bilis, quam copioſam turgescentem evacuant, ſub morbi initium, dysenterici, retrogrado motu ſtomacho traditur, & vomitu eliminatur, quæ humorum rodentium, bilisque turgescentis expulſio, laxantibus appropriatis & clysmatibus convenientibus ſimul per anum extrudere pariter convenit, prout ægrotorum ætas, temperamentum & corporis conſtitutio id innuere videntur. Remedia ad ſcopum hunc consequendum præ cæteris efficaciora reperta, ſunt pecacuanha & Rheum, prioris usum in dysenteria primum docuit Piso *, & poſt eum Helvetius: Rheum ab antiquiſſimis jam temporibus, virtutem ſuam

* Vid. Pisonis Hiſt. natural. Indiæ Occid. l. 2. c. 8.

egre-

egregiam, in alvi blanda evacuatione, & intestinorum post evacuationem robore impertiendo, abunde monstravit; effectus amborum augetur, si illis, ex sale quodam medio, stimulus additur; in pulsu accelerato & febrili motu percepto, Nitrum admiscetur, in pulsu magis depresso Tartarus vitriolatus aut solubilis, &c. admixtus convenit. Cum Radix Ipecacuanhæ in ægrotis robustioribus non semper vomitum, cum subsequente alvi laxatione, nisi in fortiori dosi datum, excitare valeat, commode & cum successu, singulis hujus radicis drachmis, grana tria vel quatuor Tartari emetici commiscentur, tunc in parva, & sæpius repetita dosi, effectus desideratus succedit. Cum vitro antimonii cerato, binis dysentericis robustioribus exhibito, experimenta optime quidem succedebant, sed in nonnullis remedii pondus difficile determinandum erat, cum eadem dosis in uno subjecto nec emesim nec alvi laxationem in alio autem violentam nimis operationem excitaret. Conferri merentur quæ hac de re clariss. Edimburgenses Medici Pringle & Young, &c. in Observat. Edimburg. publicarunt. tom. 5. p. m. 240. In junioribus debilibusque ægrotis, infusum Ipecacuanhæ vinosum repetitum, operæ prætium facit. Usus horum evacuantium quotidianus, vel alternis diebus repetendus, a dolore abdominis torminoso aucto vel aliquatenus imminuto pendet. Dolorem hunc, nonnulli, alias clarissimi Medici, per opiata sopire jubent, verum licet induciæ per breve tempus inde subsequantur, dolor tamen brevi, viribus novis acquisitis, ægrotum adoritur, & cum tonus fibrarum intestinorum per soporifera debilitetur, vis quoque propellens acre impactum imminuitur, & morbus quem profligare per opiata tentamus omnino augetur. Idem fere

valet de adstringentibus terreis, bolaribus, cum vel sine laudano opiato adhibitis, cum acre rodens in intestinis figunt & detinent, lupum intra ovile occludunt, & morbum exasperant, dum vascula obstructa magis oppilando destruunt. Sic & ægrotis dysentericis pessime consulunt Empirici nonnulli, qui medicamenta carminativa exæstuantia exhibent, & purgantibus drasticis, resinosis & aloëticis virus dysentericum expellere conantur, qua perversa medicatione tormina augent, obstructionem inflammatoriam producunt, vel jam productam destructioni gangrænosæ tradunt, tunicam villosam abradunt, separant, & sic morbum penitus insanabilem reddunt.

Adstringentia & roborantia autem, cum anodynis levioribus maritata, tunc demum, ad tonum restaurandum, cum successu adhibentur, quando tormina imminuta & fere sedata, humorum turgescentium & rodentium acrimoniam pro maxima parte expulsam indicant; quo scopo egregie conducit Cascarillæ cortex in pulvere, vel ejus Extractum cum aqua Cinamomi simplici dilutum, ter, quater de die exhibere, vis roborandi antisposmodica hujus mixturæ augetur, si tertia circiter pars Extracti Arantiorum corticum, cum uno vel altero grano Pilularum Massæ de Cynoglosso additur; sic & haustus in hunc finem convenit, ex partibus æqualibus aquæ Melissæ simpl. cum illa physogana Dorncrellii, cujus basis chamomilla est, commixtus. Dum hisce remediis utitur æger, & nihilominus per intervalla quædam tormina persentiscuntur, tunc leve laxans interpolandum; Rhabarbari infusum cum Manna proficuum erit, & regula hæc tenenda; quod evacuantia ejusmodi toties repetenda sint, quoties torminosi dolores recurere solent, ne sensim collectus hujus morbi fomes

iterum recrudeſcat. Potus ſit Decoctum oryzæ, hordei, aut illud album dictum Sydenhamii; & pro nutrimento contentus ſit æger jure carnium dilutiori cum pane fermentato biscocto, nam omne nutrimentum ſolidum, & imprimis difficilioris diſſolutionis, fæces duriores compingendo, obſtructiones denuo producit, quibus propellendis inteſtinum ſumme debilitatum, & quaſi paralyticum impar exiſtit. Sic methodo hactenus tradita dyſenteria epidemica bono ſatis ſucceſſu intra breve tempus utplurimum profligatur, nimirum ſi Medicus ſtatim ſub morbi ingreſſum accerſitus ſanationem ſuſcipit, ſed ſi nimis tarde vocato medico cura ægri cujusdam committitur, qui neglectus, aut remediis inconvenientibus tractatus, ex nimia humorum jactura, pulſum debilem, tardum, cum magna virium debilitate, & linguam cum faucibus cruſta arida tectis exhibet, quique filamenta & fruſtula villoſæ tunicæ detrita cum fæcibus excernit, cui inteſtina proinde notabili atonia afficiuntur, tunc in magno vitæ diſcrimine verſato ægro, medendi methodus jam tradita minime convenit, ſed pauca illa adhibenda, quæ ſuperius, de inteſtinorum exulceratione tradidi, reliqua naturæ conſervatricis conaminibus relinquenda, quibus quandoque fit, ut ſumme extenuatus ſed patientia inſtructus æger, poſt multas ſeptimanas ſive menſes interdum, ex orco quaſi revocatus, ſanitati ſucceſſive redditur.

Ut autem illa, quæ de dyſenteriæ epidemicæ curatione hactenus propoſui, experimentis practicis confirmem, ſubjungere quædam, non ſuperfluum fore arbitror, quæ olim conſignare occaſionem nactus ſum. Anno 1721, menſe Auguſto, dyſenteria ejusmodi epidemica in diverſis Saxoniæ ſuperioris

finibus, & imprimis Nienburgi, oppido prope fluvium Salam, quod sedes Serenissimæ Principis viduæ Anhaltino-Cœthensis tunc temporibus erat, strenuè grassabatur. Statim ac morbus ille se manifestabat in hocce loco, Serenissima Princeps, me in vicinia tunc temporis commorantem, accersere curabat, & cum in procinctu esset urbem infectionem minitantem, cum comitatu suo ad tempus relinquere, rogabat me, ut ibi suo sumtu commorarer, ægrotis medicinam facerem, & ad conservandum subditos suos omnem operam impenderem. Paucos admodum hoc morbo correptos tunc reperiebam, quos statim remediis prospiciebam convenientibus, sed intra septimanæ spatium, numerus ægrotantium ad centenis aliquot accrevit, adeo, ut pharmacopœus & duo chirurgi, cum illorum conductis operariis, vix sufficerent remedia præscripta conficere, & ægrotis singulis, prout necessum fuit, administrare: brevi autem experientia didici, quod nullum medicamentum, sub morbi initium dysentericis efficacius fuerit, quam evacuantia quædam appropriata, quæ humorum rodentium & biliosorum acrimoniam, repetitis vicibus, jugiter eliminarent; posthabitis itaque omnibus drasticis, purgantibus fortioribus, adstringentibus terreis, carminativis calidis, & opiatis, radicem Ipecacuanhæ in parva dosi & repetitis vicibus adsumendam exhibui, ita ut bis, ter, vel etiam quater de die 4, 5, aut 6 grana pulveris hujus radicis successive deglutierentur, donec vomitus blandus succedebat. In robustioribus vero, singulis drachmis Ipecacuanhæ, Tartari emetici grana quatuor admiscebantur, quæ compositio eadem dosi & repetitis vicibus, ac pulvis præcedens, adsumpta fuit. Continuato, per tres vel quatuor dies, hujus medicamenti usu,

tormina decrescere, & alvi dejectiones cruore tinctæ minui incipiebant, quibus perspectis, diminuebatur dosis adsumpti remedii, & post meridiem & versus noctem mixturam roborantem hauriendam jussi, quæ ex Cort. Cascarillæ & Arantiorum extractis, cum aquis simplicibus Melissæ & Cinamomi, addita quandoque Essentia ex speciebus Mpill. de Cynoglosso extracta, &c. conflata erat; qui Ipecacuanhæ pulverem toties sumendam recusabant, iis infusum hujus radicis vinosum porrigebatur, quod & infantibus & ex pulmonum vitio debilioribus ægrotis proficuum fuit. Quibus debilitatis corporibus, post unica vice solummodo excitato vomitu, Rheum quotidie adsumendum præbui, donec torminibus & alvi fluxu diminutis, roborantia simul administranda necessaria judicabantur; in horum delectu rarius fortiora bolaria, cum anodynis, multo minus stiptica adstringentia, in usum vocata sunt. In tenesmo valde urgente, clysmata, ex hordei, avenæ aut oryzæ cremore mucilaginosa, cum multo oleo imprægnata, solatio fuere. Hacce simplici evacuatoria methodo, qua morbi hujus corrodens acrimonia absque interruptione extrudebatur, morbi hujus eradicationem duarum vel trium septimanarum spatio, utplurimum adsecutus sum; & cum aliquando malum recrudescere & torminibus denuo aggredi percipiebatur, evacuantia prius exposita iterum in restricta dosi administrata, votis meis respondebant. Pro potu porrigebatur decoctum hordei, oryzæ vel album Sydenhami, & sub morbi finem cerevisia bene defæcata, vel vini parum cum aqua remixtum, & cibus ex carnium jure debiliori cum mica panis biscocti sufficiebat. In illo autem dysenteriæ gradu, ubi corpus summe debilitatum viribusque exhaustum cernebatur, & abrasæ

villosæ tunicæ portiones rejectæ, atoniam intestinorum notabilem indicabant, & ubi sanguinis loco mucosa sanies nunc rejiciebatur, (quod accidisse observavi in illis, qui remediis suis domesticis dictis, expellendam acrimoniam in loco affecto detentam, aquis vitæ appellatis carminativis aut adstringentibus stipticis accumulaverant) nulla certe evacuantia, præter Rhei extractum cum Manna in aqua fœniculi exhibitum, fuit proficuum; infusæ præterea herbæ traumaticæ quotidie adsumptæ cum interpolatis Corticis Peruviani & Cascarillæ Extractis, nonnullis, vitæ regimine probe observato, post sex vel octo septimanarum spatium sanitatis integræ recuperandæ spem concesserunt. Denique versus finem octobris dysenteria hæcce epidemica grassari penitus desiit, postquam ex tribus centenis, & ultra hoc morbo detentis ægris, vix quadragesimum amisissem.

DE APOPLEXIA

EJUSQUE SPECIEBUS.

SECTIO XIV.

OB insultus velocitatem inter acutos refertur ille morbus, quo quis subito abolitionem integram externorum æque ac internorum sensuum, motusque voluntarii patitur, & somno quasi profundissi-

mo & inextricabili detentus, operose, profunde & cum stertore respirat, superstite interim pulsu utplurimum satis forti. Apoplexiam hunc morbum græci Medici vocarunt ἀπὸ τῦ ἀποπλήττειν percutere. *Celsus* (1) attonitos vocat hoc affectu correptos, eosque raro vidisse dicit, propterea quoque paucissima de curatione perficienda adjecit, *Hippocrates* (2) qui signa apoplexiæ diagnostica satis dilucide tradidit, attamen sub hoc nomine particulares quandoque partium vel membrorum stupores aut siderationes indigitat (3), qui potius sub paralysis appellatione comprehendi debuissent, quod & Medici græci, uti *Aretæus*, *Ægineta* (4), &c. imitasse videntur.

De causis hujus morbi attoniti seu apoplexiæ, veteres græci Medici, qui corporis humani structuram cum partium viscerumque actionibus non cognitas satis perspectasque habebant, multa quidem, sed inconcinna & male digesta nobis reliquerunt, quæ neotericis, structuræ & functionum corporis nostri magis peritis, melius innotuerunt, propterea existendi modum morbi hujus, curatius rimari potuere, hisce enim subsidiis muniti demonstrarunt, apoplexiæ causam proximam ilico iruere, statim atque, fluidi nervei motus reciprocus, qui inter sensorium commune cerebri, & sensuum organa musculosque voluntati nostræ obedientes, jugiter subsistit, perfecte impeditur. Observationes solidæ, cadaverum incisionibus junctæ, causas illas remotas, successive detegerunt, quibus existentibus dicti fluidi

[1] Libr. 3. c. 26.
[2] De Morb. l. 1. c. 7.
[3] Vid. Coac. pnot. N°. 359. & 477. it. aphor. 40. Sect. 7.
[4] Vid. *Æginet.* de re medic. lib. 3. cap. 18.

motus velocissimus interceptus, necessario sisti debet. Cum vero diversæ originis sint hæ causæ, in diversas quoque classes apud Autores redactæ reperiuntur; interim omnes in eo coincidunt, quod portionem cerebri medullarem, quæ & nervorum omnium radix & origo est, comprimendi, fluidique istius mutuum per nervos motum intercipiendi vim possideant; Compressio hæcce & motus interceptio duplici modo effici poterit, affluxu nempe & stagnatione nimia humorum, quæ vasa penitus innumera, integumentorum & corticis cerebri in eorum diametro valde dilatant, qua dilatatione medulla substrata eximie coarctatur; vel si ex vasis ejusmodi ruptis, ingens humorum copia effusa, medullaris cerebri portio, pondere & mole nimium arcte coercetur. A cruore coacervato orta vasorum hujusmodi dilatatio aut ruptura, sub nomine *apoplexiæ sanguineæ* indigitatur; a serosa colluvie vero, intra cerebri anfractus, sinus & ventriculos collecta, vel in tumores aut vesiculas pituitosas elevata lympha viscida, sub *apoplexiæ serosæ* appellatione venit.

Causæ occasionales, medullarem hancce & nerveam compressionem efficientes, ex collectis omni tempore institutis observationibus diversæ iterum deprehenduntur: vel enim plethora, vel spissitudo cruoris inflammatoria, cursu, calore, victu lauto, potu nimio aut remediis calidis, subito & valide movetur, sanguinisque copiam excedentem versus caput determinat; aut cacochymia tenax, spissa, catarrhalis, in senili corpore strenue mota, ad capitis vasa serosam colluviem hancce ablegat; sive collectio lenta humoris atrabilarii, aut scorbutici, vel podagrici, in motum acti, ad encephali viscera fertur, &c. quæ causæ omnes dilatando nimium vel obstruendo me-

ningum & cerebri vasa, compressionem medullæ & nervorum hujus visceris efficere, consequenter apoplexiam introducere possunt. Idem effectus subsequitur, cum causæ præcedentes vasorum rupturam expansione nimia efficiunt, unde similis compressio ab effusi humorum mole expectanda; Sic & dilatata nimis & coacta vascula exhalantia serosa, in cerebri ventriculis & meningum superficie liquidum eructant, cujus moles successive aucta & in pituitam tenacem conversa, simili modo medullam nervosque comprimere valet. Quæ causæ omnes, minime conjecturales, sed revera, ad morbum hunc producendum, existentes, cadaverum incisione comprobantur, plurimarum ipse ego, dissectionibus institutis, testis successive fui *.

Cur autem a causis hisce procreata medullæ cerebri compressio, nervorumque inde existens stupor, non adeo afficiat nervos ad functiones vitales, cordis nempe & respirationis peragendas constitutos, maxime cum pulsus persistit, & spiritum fortius adhuc ducere soleant, exquisita apoplexia detenti, investigationem ulteriorem meruit, quæ tamen medicorum, utut sagacissimorum industriam valde lacessivit; Nonnulli enim cum viderent cerebellum a cerebro separatum, fortissimo occipitis osse, & validis duræ meningis ligamentis tectum, sub cranio occulte quasi locatum, sicque læsionibus violentis quævis minus expositum esse, existimarunt, nervos cardiacos cum diaphragmatis, qui functiones vitales sustinent, inde ortum ducere, & propterea motum cordis cum respiratione protrahi adhuc posse, licet cerebrum cum nervis protrusis omni actione penitus careant. Confirmati in hacce hypothesi per experi-

* Confer. collect. Observat. apud Wepfer, de Apoplexia passim.

menta in hunc finem facta, a Medicis clarissimis *Willisio* (1), *Bohnio*, (2) *Drelincurtio* (3), *Vieussenio* (4), *Ridleyo* (5) aliisque, qui in canibus & diversis animalibus viventibus, a dissecto cerebello, statim mortem subsecutam fuisse affirmant. Sed cum alii nihilominus secum reputarent, fœtus maturos nonimestres quandoque nasci, partibus encephali omnibus orbatos, nihilominus cruoris circuitum, per cordis motum, licet brevi temporis spatio, exhibere; quapropter experimenta ejusmodi, de cerebello lædendo vel destruendo in vivis animalibus repetere constituerunt & plane contrarium experti sunt, dum animalia, quibus non solum cerebellum sed & medulla oblongata integre dissecta fuit, per horas aliquot cordis motum adhuc monstrasse attoniti observarunt (6): sic & vulnera cerebelli profunda sanata vidisse testantur *Fallopius* (7), *Veslingius* (8), *Platnerus* (9) qui a Chirurgo Argentoratensi (le Maire) acceptum refert, eum curasse aliquando ægrum cui non minima occipitis pars, cum notabili corticis cerebelli portione ense ablata fuerat.

Litem hanc quodammodo componere aliquis poterit, qui mecum considerat, cor, cum plurimis

[1] Anat. cerebr. cap. 15.
[2] De renunc. vuln. p. 96.
[3] In canicid. 3.
[4] Neurograph. p. 174.
[5] Anatom. Cerebr. p. 170.
[6] Vid. Philos. Transact. N°. 226. Zinnii Experimenta circa corpus callosum, cerebellum, &c. 1. 2. 4. 5. Illustr. de Haller Mémoire 2. sur les parties irritables & sensibles experim. 149. seq. Celeberrim. Senac. Traité du Cœur p. &c.
[7] *Fallop.* Oper. de vuln. cap.
[8] *Vesling.* in Epist. posthum. 13.
[9] *Platner.* Instit. Chir. pag. 344.

imi ventris viſceribus, nervos præcipuos ab intercoſtali accipere, qui ſpinalis medullæ ſoboles eſt, proinde cordis motum ſuſtentare aptus natus, quamvis reliqui, a cerebro vel cerebello concurrentes nervorum ſurculi, ex defectu vel deſtructione aut corruptione horum viſcerum penitus deficiant. Interim & hæ conſiderationes pro abſolute ſufficientibus non reputandæ ſunt, cum cordis motum adhuc ſubſiſtere percipiamus licet omnes ad hoc viſcus dimiſſi nervi abſcindantur, dum fibrillæ ejus, quocumque demum modo irritatæ, oſcillationem adhuc, licet per breve tempus exhibeant. Hiſce phænomenis lucem affundunt experimenta innumera, quæ illuſtres Viri, nimirum celeberrimus de Haller & accuratiſſimus cordis ſcrutator Senac, ultimis hiſce temporibus inſtituerunt, quibus nempe evincitur, præcipuum cordis motum, ad ſanguinem propellendum, pendere ab irritatione a fibris cordis muſcularibus, a ſanguine ipſo impreſſam. Facultatem vero ſive vim oſcillationis impertiri fibrillis iſtis a fluido quodam, a cerebri, cerebelli vel ſpinæ medulla nervis, muſcularibus fibris inſertis, communicato; & quod plane inſolitum ſeu incomprehenſibile eſt, vim oſcillationis hanc impreſſam fibris hisce, permanentem per tempus aliquot, iis inhærere, ita ut cordi, penitus e corpore animalium quorumdam evulſo, oſcillationis motus & fluidi hujus vitalis actio denuo, irritatione adhibita, poſt horas vel etiam dies integras, iterum reſtitui poſſit, maxime in animalibus frigido cruore præditis. Sed cum denique oſcillationis hæcce vis ſucceſſive decreſcat & tandem penitus ceſſet, argumento indubitabili inde reſultare videtur, vim hancce in fluido iſto latere, quod in cerebro, cerebello & ſpinali medulla

secernitur, & sub spirituum animalium nomine diu satis innotuit; Energiam tamen spirituosi hujus dicti fluidi penitius explorare, & modum agendi ejus ad oculum demonstrare, humana mens titubat & forsitan perpetuo titubabit; illud fluidum autem materiale quid esse, & per nervorum subtilissimos tubulos moveri, experimenta sæpius facta comprobant; nam nervo diaphragmatico vel crurali in cane ligato, motus harum partium statim cessat, sed si digitum, intra ligaturam & diaphragma vel crus, supra lubricum nervum, leviter premendo, protrudis, motus diaphragmatis vel cruris iterum per temporis minutum resuscitabitur certissimo sane argumento, materiam quamdam digito propulsam fuisse, fibras musculares intrasse & motum denuo excitasse. Cujus indolis autem fluidum hocce sit, an subtilissimum seroso lymphaticum, an æthereum, an vero electricum aut monadicum, vel alterius naturæ incognitæ difficillime determinandum fore autumo, præcipue cum summam ejus, in sensu & motu exequendo, radiorum lucis instar, celeritatem, & in maxima molis tenuitate stupendam vim, animo concipere, vel cognitione assequi omnino nequeamus. Exemplo sint animalcula ista microscopica dicta, quæ ob summam exiguitatem, oculorum aciem omnem fugientia in aquis stagnantibus microscopii ope detegenda, quibus detectis, in summam sane admirationem rapitur contemplator curiosus, dum bestiolæ ejusmodi nec centesimum grani sabuli molem adæquantis structuram, innumeris fibrillis tendinosis nerveis, in tot partibus & organis ad motum exequendum distributis adornatam, nullo ingenii acumine, nec perspicere, nec motricis hujus nervei fluidi exilissimi tenuitatem ac velocitatis vim attin-

gere & æstimare valeat. Sed liber sit animus a præjudicata ista opinione, quod corporum exiguitas & crassitudo pendeant a sensuum nostrorum, maxime visus æstimatione: hacce erronea dijudicatione fit ut corporeis rebus, quæ propter tenuitatem vix apparent, vel etiam visui se penitus subducunt, nullam amplius vim & efficaciam tribuere existimemus; cum tamen in isto invisibili fluido nerveo, fibrillas musculares stringente, insignis omnino vis, ab affectu solummodo judicanda, lateat, & quod plane mirabile videtur, hæcce a cerebro, cerebello, eorumque productione medullari cordis musculo communicata vis, in fibrillis ejus imperscrutabili plane modo irretita hæret, ita ut hacce vi animatæ quasi fibrillæ, motum cordis per horas adhuc, imo per dies integras persequi aliquomodo possint, ablata licet omni nexu cum medullari nervosa cerebri propagine, quod & corde e corpore evulso, ejus irritate denuo fibrillæ satis superque evincunt, rationemque reddunt, cur penitus obstructo, in apoplexia nervoso genere, & omni inter cor & cerebrum sublato nexu, motus ejus, licet continuo decrescens, per 2 vel 3 dies adhuc subsistere, & tandem penitus cessans, vitæ terminum constituere observetur.

Phænomena hactenus recensita in apoplexia completa sive exquisita plerumque deprehenduntur, quæ vehementissimus hujus morbi gradus est, remissiorem, ubi sensus vel motus leve aliquod vestigium remanet, *parapoplexiam* nominant Medici, quæ tamen appellatio Medicis græcis minus usitata fuisse reperitur. Sic & *paraplegiam* vocant, cum omnes capiti suppositæ partes sensu & motu carent, *hemiplegiam* vero, quando omnes unius lateris musculi voluntarii sensatione motuque destituuntur, quamvis

Hippocrates (1) cum *græcis Medicis*, paralyſes particulares, e. gr. cruris, brachii, manus, &c. apoplexiam vocitent (2). Sic & *Carus* profundiſſimo & præternaturali ſomno dignoſcitur, ubi æger, vi vel arte excitatus, per momentum ſenſus cujusdam perceptionem & motus conamen monſtrat, ſed ſomno mox correptus denuo immotus jacet, quare ad apoplexiæ levioris ſpecies refertur, & plerumque a cruoris mole cerebrum illæſum comprimente originem trahit. A ſeroſa colluvie apoplectica hæcce compreſſio orta, ſimilique ſomno profundiſſimo ſtipata *Lethargus* dicitur. *Coma*, tam *vigil* quam *ſomnolentum*, *Cari* ſpecies eſſe, Autores perhibent, ſed febre acuta inflammatoria decumbentibus, hos affectus quandoque ſymptomatice ſupervenire obſervavi.

Apoplexiæ tanquam morbi graviſſimi eventus ſumme periculoſus ab omni tempore judicatus fuit; *Hippocrates* (3) jam dixit: Apoplexiam fortem quidem ſolvere impoſſibile eſt, debilem vero non facile; per apoplexiam fortem Hippocrates illam intellexiſſe videtur, quæ obeſos, pituitoſos, ſenes aggreditur, quibus vires vitæ ad expellendum ſerum pituitoſum deficiunt, quodve extravaſatum, in cerebri anfractibus & ventriculis collectum medullarem hujus viſceris compreſſionem efficit; Sic & funeſta apoplexia introducitur, ubi in corporibus hypochondriacis ſiccis, ætate provectioribus, a cauſa vehementiori prægreſſa, cruor ſpiſſus, tenax atrabilarius ad partes encephali vi quadam rapitur, nullo remedio

[1] Vid. Coac. pnot. N°. 359 & 477, &c.

[2] Aretæus de Cauſ. & Sign. morb. diut. libr. 1. c. 7. Æginet l. 3. c. 18.

[3] Aphor. 42. Sect. 2.

cognito, in tam brevi tempore, quo hic morbus ſcenam ſuam ludit, diſſolvendus. Lethalis quoque apoplexia emergit, cum ex vaſe quodam intra cranium rupto, tanta ſanguinis portio ſucceſſive propullulat, quæ medullam cerebri & cerebelli arctius comprimendi, vim nacta eſt, quæque nullo artis adminiculo, ſtatim ac morbi vehementia requirit, diſſipanda erit. Curatu difficillima quoque & utplurimum funeſta evadit iſta, a materia podagrica in cerebro collecta emergens apoplexia, quam vitæ robur in ſenio deficiens ad artus conſuetos amandare nequit. Exitialem autem hunc morbum futurum annunciant ſenſus ac motus integra penitus extinctio, item operoſa valde reſpiratio, cum ſtercore vi quaſi & per intervalla expulſo, ſpumeſcens ſaliva circa os collecta, & ſuperiorum partium ſudor frigidiuſculus (1). In leviori autem apoplexiæ gradu, abſentibus ſignis jam recenſitis, cum naturæ conamen eo dirigitur ut ſudore calido, æquali, diu ſubſiſtente, aut alvi fluxu copioſo, vel lotio multo & pituitoſam ſedimentum dimittente (2), ſive hæmorrhoidum aut menſtruo fluxu largo reſtituto, vel febre violenta ſuperveniente, compreſſa tunc encephali medullaris, ſubſtantia relevatur, tunc morbus hicce periculoſus ſæpe ſolvitur (3), adjutus ſolummodo remediis, ejusmodi criticis evacuationibus appropriatis; aliquando autem nimium debilitatis in ſenio vitæ viribus, hac morbi ſolutio pro parte ſolummodo contingit, dum brachium vel crus, aut latus integrum, ſenſu & motu privatur, tunc reſpectu mem-

[1] Confer. Hip. Coac. pnotion. N°. 479.
[2] Confer. Hip. Coac. pnot. N°. 478.
[3] Coac. pnot. N°. 479. Aretæus de Curat. morb. acut. lib. 1. cap. 4.

bri ejusmodi læsi, paralyticus æger redditur, & restitutionem frustra sæpius expectat, nullo plane artis auxilio impetrandam.

Sunt autem medentibus obvia sæpe phænomena quædam, minime negligenda, quæ appropinquantem in prædispositis apoplexiam annuntiare solent, ex quibus præcipua observantur incipiens paralysis in musculis faciei & linguæ, genarum & labiorum, maxime dum cibum capiunt, &c. capitis obtusus dolor, & tumida inflatio, vertigo frequens, sopor perpetuo fere infestans, sensuum internorum stupor & vacillatio, cum molesto aurium susurro & tinnitu, &c. quæ incommoda Medico exposita, illi necessitatem inquirendi in horum affectuum originem & causas injungere debent, ut statim remediis convenientibus affluxum humorum obstruentium a capite avertere & apoplexiæ imminentis metum dissipare possit *. Id quod sæpius, exploratis ejusmodi apoplexiæ, per medicamenta fundentia, evacuantia omnis generis jugiter continuata, & epispastica fortiora, felici cum successu executus sum.

Itaque in cura apoplexiæ feliciter instituenda, ad diversas ejus causas, præcipue & ad morbi gradus respiciendum; ubi levis invadit hic morbus, nec omnem artuum motum & sensuum perceptionem penitus abstulit, tunc causarum occasionalium exploratio indicabit, quid agendum sit, quibusve remediis adoriri morbum convenit. In eo autem morbi gradu fere semper alterutrum latus magis læsum, & hæmiplegiam, durante encephali oppressione ortam, experimur, illamque statim annunciant musculorum faciei in latere magis sano constrictiones, unde os versus hoc latus oblique tractum

* Confer. Hippocr. Prædictor. libr. 2. cap. 17.

conspi-

conſpicitur; in oppoſito autem latere crus cum brachio, ob nervorum conſtipationem immota relinquuntur. In leniori autem apoplexiæ hocce gradu curationis eadem manet indicatio, quam in exquiſita & completa apoplexia obſervare requiritur, quæque in oppreſſionis cerebri relevatione absque omni ilico mora tentanda potiſſimum conſiſtit; Quare ſtatim omnis generis evacuationibus, pro conſtitutionis ægroti circumſtantiis, morbique cauſis prægreſſis, affluxus humorum verſus cerebri vaſa jamdum oppleta, reprimendus eſt, quod vel eliminando e corpore, vel ad alia minus periculoſa loca, humorum abundantium vel corruptorum colluviem derivando, impetratur. In cachecticis corporibus fortiora & repetita laxantia ad revellendum tenaces a capite humores ilico exhibere convenit, ſi plethora ut morbi hujus cauſa in ſuſpicionem venit, tunc larga ſanguinis portio ex ſecta vena detrahenda, circulumque cruoris ad copioſa meſeraica vaſa determinandum, inteſtinorum a fæcibus collectis & flatibus exinanitio per clysmata laxantia, acriter ſollicitanda eſt; ſimulque requiritur, artus immobiles vel ſumme debilitatos, pannis laneis, fumo ex reſinis accenſis, imprægnatis, perfricare, emplaſtra veſicatoria cruribus vel intra ſcapulas apponere, aut plantis pedum epiſpaſtica fortiora admovere, os ſæpius colluere decoctis ſtimulantibus aromaticis acrioribus, denique remediis internis aperientibus, nervinis, ad elaterem fibrarum in vaſculis debilitatis reſtituendum, ægris ſuccurrere, hisce artis adminiculis præcipua quæ in morbi hujus initio ſtatim adminiſtranda ſunt, complectuntur. Multi ſane fuere, qui morbo hoc correpti, jam per ſeculi dimidium fere opem meam efflagitarunt, & fere omnes reſtitutos vidi quibus curæ erat conſiliis meis ob-

temperare, & effectu remediorum salutari tempus quandoque longum concedere. Inter externa artis adminicula efficacissima semper deprehendi epispastica, scilicet emplastra vesicatoria inter scapulas vel ad crura posita, & rubefaciens illud notum ex panis fermento, aceto & Synapi contuso mixtis, sub pedum plantis admotum, imprimis autem raphanus rusticanus radula comminutus; Et denique non omittendæ frictiones frequentiores cum pannis accensi succini & Olibani vapore impraegnatis; observato autem loquelæ impedimento ex nervorum affectorum debilitate producto, gargarisma seu collutorium ex Rad. Galang. Zinziber. Pyrethr. Hbis Serpill. Thym. & Flor. Lavendul. in aqua cum tertia vini parte remixta coctis, adjecto postea sale vol. oleoso in parca dosi, sæpius in ore detentum & agitatum magno semper emolumento adhibitum fuit. Clysmata vero ex decoctis herbis nervinis, adjecta Colocynthidis pulpæ drachma dimidia, vel Squillæ radicis in pulverem redactæ drachma, quotidie quandoque, prout morbi causæ id postulant, injicienda sunt; Sic ex cachexia in senibus orta levior apoplexia, in hemiplegiam quandoque determinata, alvi laxatione, mediantibus resinosis, aloe, hellebori extracto & gummatibus, &c. sæpius repetendas indicant, ad affluxum versus caput reprimendum, & ad impactum in cerebro & nervis celerrime dissolvendum, &c.

Hisce circiter præsidiis munitus, permultos sane, hoc morbo affectos sanitati reddidi, etiam ætate provectiores & octogenariis proximos: Oris & labiorum distorsiones, unius vel alterius septimanæ spatio, in situm naturalem plerumque fuerunt reductæ; Artuum loca epispasticis vel cantharidum em-

plastris sollicitata, cum post dies aliquot vesiculas circa ambitum & in vicinia emplastri, cum epidermidis desquammatione subsequente, elevarent, indicium semper fuit, sensum & motum labefactum brevi rediturum. Sed monitos velim Medentes ut in applicatione vesicantium ad suras caute in ætate provectioribus, procedant, imprimis in illis, qui a causis cathecticis apoplexiæ insultus perpessi sunt; immodicus pituitæ affluxus, excoriationis exsiccationem cum cuticulæ regeneratione adeo protrahit, ut non solum ægroto tentanda ambulatio inde impediatur, sed & gangrænosa destructio quandoque metuenda sit, quod in septuagenario sene, ab insultu apoplectico quidem retracto, a pedum gangrænosa corruptione nullo medicamine reprimenda denique extincto, non sine dolore expertus sum; quare in analogis postea affectibus, emplastra vesicantia sub nucha inter scapulas ponenda jussi, ubi cruoris circuitus vigor, stagnantem ejusmodi humorum corruptelam impedit. Tactus in artubus affectis, præcipue in manubus a nervorum in cute orta obstructione, ita deletus vel nimium imminutus sensus, ut obtusa solummodo sensatio percipiatur, frictionibus siccis fumo vel spiritibus imprægnatis frustra adhibitis, restituitur sæpius efficaci illo epispastico, ex raphani rusticani, radula comminuti, super dorsum manus vel brachii inferioris applicatione, qua pruritus æstuosus excitatur, & validus humorum affluxus ad nervorum papillulas recludendas attrahitur, sed removere oportet post horas aliquot epispasticum hoc, ne nimia excoriatio phlegmonem excitet. Completam denique sensuum internorum æque ac externorum restitutionem facilitat ac promovet, sufficiens & quotidiana corporis agitatio, quæ vectione in

rheda initio tentanda, postea, viribus auctis, equitatione vel ambulatione, quantum fieri potest prosequenda est, motus ejusmodi quotidianus & quandoque, itinere suscepto, diuturnus, plus profluit ægrotis hujusmodi, teste experientia mea quam omnis medicamentorum farrago in sedili vel lecto timide deglutita.

Quod si denique totalis, sensuum internorum æque ac externorum abolitio, cum motus omnis voluntarii integra cessatione apoplexiam exquisitam seu completam manifestat, tunc restitutio, si qua speranda est, in subito, absque ulla temporis jactura afferendo auxilio, quærenda erit; Nimirum primis statim post insultum perpessum horis, suppetias ægroto ferre convenit, quibus præterlapsis frustra adhibentur adminicula etiã exquisitissima. Cæteroquin cum in acutis morbis singulis, nunquam remedia, præsertim violenta præceps administrare, consueverim, antequam naturæ motus perspectos haberem; in apoplexia exquisita tamen, damno meo edoctus, compertum habeo, remedia diversa ilico validissima & statim ad nervosum genus integrum, undique vellicandum & conquassandum applicanda esse, antequam medullæ encephali & nervorum totalis infarctus nulla arte reserandus, subsequi possit. Nimirum in apoplexia exquisita, de qua hic sermo est, ægrotos semper fere deprehendimus, profundissimo quasi somno sepultos nulla irritatione exterius adhibita excitandos; Stertor, perpetuus hujus morbi comes, decrescit successive in ratione temporis præterlabentis aucti, donec tandem tardius & profundissime tractus, functionum vitalium, cordis nempe & respirationis motum valde debilitatum & prope extinctum manifestat, certo indicio,

praxi reiterata confirmato, omne tunc artis auxilium ſupervacaneum futurum, ob neglectam remediorum neceſſariorum applicationem, quæ ſtatim ſub inſultum morbi adhibenda ſunt.

Propterea ſtatim, ubi accerſitus fui ad ægrotum apoplexia exquiſita percuſſum, venam in brachio aperire, & pro ægri conſtitutione & ætate, ſufficientem ſanguinis copiam etiam in pituitoſis corporibus, ad cerebri compreſſionem relevandam, detrahere præcipio, ſimulque clysma, adjecta Colocinthidis pulpa & ſquillæ pulvere acre redditum, injicere curo, applicato ſub nucha inter ſcapulas Cantharidum emplaſtro *; Si ægrotus liquida ori admota & inſtillata deglutire adhuc valet, decoctum vinoſum Radicis Ipecacuannhæ, vel Reſinæ jalappæ ſem. ſcr. in Spiritu vini ſolutæ & Syrupo Roſarum ſolutivo dulcificatæ, hauſtulum deglutiendum præbeo; deprehenſis autem pharyngis muſculis paralyticis, deglutitionis officium negligentibus, ſtatim maxilla inferiori retracta & faucibus patulis pluma, Salis Ammoniaci ſpiritu vel volatili oleoſo Sale imbuta, palatum & pharyngem titillare curo, quo facto, aliquoties deglutitionis negotium, licet per intervalla nonnunquam reſtitutum fuiſſe memini. Dum hæc ſingula, una eademque hora, ſi fieri poteſt, peraguntur, pannis acribus vel etiam ſcopis, gummatū fumo perfuſis, extremitates ægroti ſtrenue ſunt perfricandæ: uti frictiones hæ, cum cantharidum ſtimulo exterius, ita cum intromiſſis interius, emetico vel laxante & clysmatibus, totum fere genus nervoſum irritatur & ſtimulis hisce validis conquatitur, qua vi illata & producta, ſi morbi cauſa quocumque demum

* *Celſus*, l. 3. c. 27. dicit, ſi omnia membra vehementer reſoluta ſunt, ſanguinis detractio vel occidit vel liberat, &c.

modo, superanda sit, impactum obstruens ad resuscitandam iterum fibrarum oscillationem excutietur, quo excusso, sensuum perceptiones paulatim iterum excitari deprehenduntur. Revulsionibus, per productas cantharidum vesicas, alvique laxatione, per dies aliquot adhuc continuatis, resolvens nervinum medicamen bis vel ter de die adsumendum suadeo, quod hunc in modum compositum optime profuit. Recipe. Tinct. antimonii tartarisatæ ana ij. drag. Liq. C. C. succinati iij. drag. Ess. Pimpinell. alb. &Ambræ gris. ana ij.drag. M. D. ad 60 guttas, &c. Frictionibus in dorsi spina & extremitatibus minime neglectis, motus ad ambulandum, sustentatione in initio a domesticis suffulcitus, roboratur, qui post modum vectione in rheda vel equo confirmari solet, &c.

Hac methodo plurimos, apoplexia exquisita detentos, sanitati reddidi. Sic Vir illustris D. de Monthry, bellicarum machinarum Præfectus Generalis, annum agens 65tum, post prandium subito apoplexia correptus prosternitur; in vicinia degens statim accersor, ægrotum in bisellio aliquo jacentem inveni sed penitus immobilem, somno quasi profundissimo correptum, qui nec vellicando nec pungendo, motum quemdam ut ut exiguum in extremitatibus manifestare potuit; respiratio tarda & debilis, adhuc aderat, & pulsus lentus & exiguus deprehendebatur, sed pharyngis musculi paralytici omnem deglutitionem penitus impediebant. Cum corporis habitus robustus & sanguine repletus apparuit, statim venam secare & cruoris libram circiter detrahere jubebam, tum vesicatorium emplastrum largius intra scapulas admovere & clysma cum colocynthidis pulpa corroboratum injicere curabam, quo facto fauces pluma spiritu aromatico & sale volatili imbuta, undique titillabam, & cum paulo post motum

quemdam constrictorium debilem in musculis pharyngeis perciperem, Resinæ Jalappæ grana xij. in Vini Spiritu soluta, & cum Syr. Rosarum solutivo dulcificata, ilico ori infundebam, & spastica musculorum in facie subsecuta constrictio momentanea, versus œsophagum deprimebat remedium exhibitum. Hæc omnia hora quarta pomeridiana, dimidiæ horæ spatio administrabantur. Perfricatis tunc strenue extremitatum integumentis, versus horam sextam, cum Jalappæ, Colocynthidis & Cantharidum stimuli, fibras, nervorumque papillas acriter sollicitare inciperent, debilis motus conamen hinc inde extremitatibus observabatur; paulo post, subsecuta laxantis & enematis operatione valida & reiterata, ressuscitatus successive fuit illustris ægrotus, adeo ut versus mediam noctem mentis iterum compos adstantes cognoscere & loqui inciperet; Rogabam præterea cognatos & amicos, ut strepitu & sermonibus jucundis dormituro somnum reprimerent, ne motibus nimis cito in sensibus per somnum sopitis, malum recrudesceret, quod exitiale aliquando exstitisse olim observaveram. Altero mane ægrum, debilitatum quidem, sed animo & sensibus iterum præditum reperi, largiores subsecutæ evacuationes, cerebrum ab humorum congestionibus superfluis expediverant, & ægroti restitutionem intra 24 horas permittebant.

Alius æger in mercaturis feliciter faciendis valde celebris, anno ætatis suæ 64, apoplexia exquisita, post animi pathemata quædam prægressa, ex improviso corripitur; somno quasi profundissimo sepultus, frictionibus spirituosis, conquassationibusque diversimodis frustra institutis, altero die post elapsas circiter 20 horas accersor, deprehendi pulsum satis plenum sed

nimis lentum, faciem ex atro rubentem tumidam, cum reſpiratione profunda, nimium tarda & ſæpius interrupta; venam aperire, enema acrius injicere, & cantharidum emplaſtrum in nucha admovere curo; deglutitio omnis abolita erat, nec faucium, cum ſpirituoſis acribus ſollicitationes profuerunt: tandem parvæ ſyringis ope ſpirituoſum ſimul volatile, in parva doſi provide ad œſophagi velum uſque protruſum, fibrarum muſcularium ſubſultus aliquot cum tuſſi excitabant; quibus viſis, decocti Ipecacuannhæ vinoſi doſim injiciendam præcepi, deglutio operoſa per vices ſubſequatur. Pedum plantis epiſpaſticum ex raphano ruſticano radula comminuto adhuc applicare conſultum duxi, & in reliquis uti in ægro priori procedebam. Elapſis tunc tribus vel quatuor horis, poſt, inſcio fere ægro, egreſſum enema, ſtricturæ muſculorum validæ in artubus excitabantur; ſubſecuto tunc vehementiori vomendi conatu, ingens in ſtomacho pituitoſa, bilioſa cruda & indigeſta contentorũ copia per vomitum rejiciebatur; tremebundus tunc æger oculos aperiebat, ſed labia dextrorſum retracta paululum cum linguæ valida inflatione, vocem perceptibilem proferre, impedimento fuere; obſtaculum hocce, deſcripto ſuperius gargariſmate, remotum denique fuit. Poſt inſecutas, a remediis adminiſtratis, evacuationes copioſiores, ſenſus interni quidem cum externis ſucceſſive redibant, ſed brachii ſiniſtri, & cruris cum pede ejusdem lateris motus, ſumme debilitatus adparuit, hemiplegiæ ſpeciem monſtrans, qui tamen defectus temporis ſucceſſu, poſt 4 vêl 5 menſes, per medicamina debita adminiſtrata, penitus ablatus fuit, & credo ſanationem hanc tam diu protractam, a nimis tarda medicaminum convenientium applicatione, &

aucta inde medullosæ portionis cerebri obſtructione, ortam fuiſſe.

Ne in obſervationibus hisce conſignandis nimis prolixus eſſe videar, unicum adhuc exemplum, rariore ſymptomate ſuperveniente ſtipatum, adjiciam: Illustriſſimus Comes de P. annum agens 67, circa æquinoctium vernale horis vespertinis, apoplexia exquiſita obruitur, cum ſolus in cubiculo in ſella brachiata a litterarum receptarum lectione fatigatus requiesceret: morbi vehementia omnem ſenſuum externorum rationisque uſum ſubito deleverat adeo, ut domeſticos in auxilium vocare, vox viresque deficerent. Tandem cubicularius poſt horam unam vel alteram, candelas accenſas more ſolito affert, ſed attonitus herum ſuum in ſedili proſtratum penitus immobilem reperit, prehensus rigidus, nulla vitæ indicia monſtrans, lecto immittitur. In hocce morbi violentiſſimi ſtatu accerſitus ægrotum inveni, nulla, velicando vel pungendo exterius illatata vis, motus vel minimi veſtigium excitare potuit; cumque pulsus & reſpirationis leviſſimas notas adhuc detegerem, inſuper faciei tumidæ color ex atro cœruleus, ingentem cruoris in capite accumulationem proderet, ſanguinis portionem ſufficientem e brachio ſtatim detrahere curabam, & reliqua, in præcedentibus enarrata adjumenta, adminiſtrare non omittebam. Poſt horas circiter tres elapsas, cum pannis laneis ſtrenue perfricaretur corpus, vehementiſſimis motibus convulſivo epilepticis conquaſſatur æger, qui cum per quadrantis horæ dimidium perduraſſent, viresque domeſticorum inſultus membrorum valide reprimentium fere exhauſiſſent, quietus & immotus denuo requiescebat paululum, ſed ſubsecuta paulo poſt remediorum adhibitorum operatione, mo-

tus pedetentim in artubus & ſenſuum organis redire videbantur, potusque ori admotus in faucibus retentus paulatim per œſophagum deſcendebat; reliquam noctem dormitando, membraque perpetuo jactando tranſigebat ægrotus; altero mane expergefactus & magis ſibi conscius balbutiendo loqui iterum incipiebat, & tandem poſt ſeptimanas tres ſanitati integræ reſtitutus fuit. Motus autem convulſivi iſti violentiſſimi, ſine dubio, multum contulerunt ad removendum illud impedimentum, quod cerebri nervorumque medullæ obſtitit, quo minus functiones illas, ſenſibus internis æque ac externis adeo neceſſarias, expedire potuerint.

DE PARALYSI.

SECTIO XV.

MOTUS defectus in musculis, vel in fibris muſcularibus, eſt morbus ille quem Medici græci Παράλυσιν ἀπὸ τοῦ παραλύεσθαι a reſolvendo nominarunt, & quem *Celsus* nervorum resolutionem appellat. Structuræ humani corporis ignari Medici antiqui, nervos, quos motum musculis impertiri cognoverunt, in hoc affectu reſolutos aut diſſolutos eſſe, ex interrupto, inter cerebrum & musculos hac resolutione, commercio. Ex ſtructura corporis noſtri poſtmodum curatius inveſtigata, & actione viscerum

partiumque ejusdem proprius cognita, innotuit, motum illum in musculos derivari per nervos a cerebro, quamdiu membranæ cellulosæ vasa numerosissima, musculares fibras singulas ubique cingentia, cruore in motum acto sufficiente, satis distenta deprehenduntur. Illud materiale quidem, admotum excitandum, musculis a cerebro per nervos communicatum, fluidum quoddam esse, structura cerebri, & copiosissimi cruoris, illud continuo pervadentis, natura, satis superque evincunt, & ab hoc fluido segregatum aliquid esse comprobant; cujus autem proprie indolis fluidum hocce in moleculis suis minimis sit, nullis hactenus demonstrationibus, per experimenta adæquata fulcitis, explorari potuit. Interim molem satis exiguam liquidi ad motum hunc exsequendum sufficere posse videmus, cum omnes musculi, per antagonistas; in æquilibrio positi, per leve admodum superpondium, in motum quemdam cieri facile possunt.

Sed magis adhuc consideratio illa intellectum nostrum fatigare videtur, quomodo fieri possit, quod sensus tactus, a nervis cutis in tota corporis superficie productus, quandoque simul pereat in parte aliqua paralysi affecta, aliquando vero illæsus maneat, abolito in musculis motu, vel quod motus musculorum in parte quadam integre adhuc subsistat, extincto tactus sensu in cute? cum nervi motum in parte aliqua producentes, cum illis qui tactus sensationem constituunt, ejusdem originis sint, & ex eodem ramo utplurimum dispergantur. Tactus forte paralysis, causas proximas magis externas agnoscit, quam illa musculorum, quæ ab internis potissimum originem ducere videntur, quamvis etiam externæ læsiones, maxime violentæ,

motum in musculis ſæpius ſiſtere experientia comprobet.

Sic fracturæ, luxationes, ſolutiones continui, contuſiones, conſtrictiones violentæ, humiditas frigida, ſummi caloris ſubita cum frigidiori aere (*a*) commutatio, arſenici vapor quem metallurgi, & mercurii quem artifices nonnulli experiuntur, ut & venenorum nonnullorum incauta applicatio (*b*) necnon vina pota, plumbi præparationibus dulcificata paralyſim introducere observatum fuit.

Frequentiores magis offendimus internas cauſas ab apoplexia, parapoplexia, hemiplegia prægreſſis, ubi a partibus encephali extruſi humores lædentes, a cerebro & corde magis remotis, hærere & ſedem figere ſolent, motum musculorum & fibrarum muscularium ſufflaminantes. Similem effectum ejusmodi paralyticum inferre poſſunt, inflammatorii tumores interni, abſceſſus, aneurismata, tumores in ſaccos collecti, glandularum obſtructiones ſcirrhosæ, carcinomatosæ &c. Denique ejusmodi effectus paralytodes, a metastaſi materiæ morbosæ, præsertim a febrium acutarum vel chronicarum insultibus prægreſſis, ſubsecutos fuiſſe, observationes medentium teſtantur, quos & ipse aliquoties vidi, poſt febres methodo minus convenienti tractatas. Ita quoque naturales, consuetæ evacuationes, utpote menſium, hæmorrhoidum &c. paralyses introduxiſſe observationes confirmant, quod & ipse, dum hæc ſcribo in virgine cacochymica 36 annorum nata, a menſtruis per plurimos menses obſtructis, experior, quæ vertiginosam temulentiam per aliquot

[*a*] Vid. *Hipp.* de aere locis & aquis &c. §. 14. id. Epid. l. 1.
[*b*] *Van Swieten* Comment. Tom. 3. p. 363.

tempus perpeſſa, ſtuporem in brachio & denique in crure & pede ſiniſtri lateris ſenſit, quos tandem immobiles relictos artus, ob calorem in corpore cacochymico deficientem, frigidos fere deprehendi, cum pulsu frequenti quidem, ſed debili valde & parvo.

Ex recenſitis hactenus cauſis remotioribus, omnes ſtructuræ corporis gnari, pronunciare facile poſſunt quæ paralyſis ſpecies ſanabilis, quæve nullam admittere poteſt medelam; Paralyſes a nervorum diſſolutione & compreſſione, nullo artis auxilio aufferenda originem ducentes, motumque cordis & respirationis impedientes, ilico lethales fore nemo dubitabit, & reliquæ, ab ejusmodi cauſis in extremitatibus exiſtentes, inſanabiles eſſe, & motus recuperationem in parte affecta fruſtra expectandam eſſe quotidiana docet experientia; nam nervus a cauſa violenta externa deſtructus, vel a cauſa violenta interna, ſcilicet tumore quocumque minime aufferendo compreſſus, nulla arte ſanari poſſe, ſtructura & functiones partium corporis humani docent.

Itaque unica paralyſim ſanandi ſpes videtur conſiſtere in nervi obſtructi reſerandi, & cruoris circulum ſi deficit, in muſculum paralyticum reſtituendi ſucceſſu. Si obſtructio ejusmodi a criſi materiæ morboſæ perverſa, ab apoplexia, hemiplegia, paraplegia &c. a morbis acutis in muſculos depoſita, vel a chronicis affectibus huc delata, aut ab evacuationibus ſolitis ſuppreſſis, ſive ab acris mutationibus ſubitis originem ducit, tunc omnis medentium induſtria in id incumbere debet, (detecta nimirum causa antecedenti proxima) ut nervei fluidi cruorisque liber circulus in musculis paralyticis demum reſtituetur. In ſenio, ſcilicet ægrotis ætate

proveƈtioribus, reſtitutio plerumque ſucceſſu caret, imprimis ſi corpus ſiccum, emaciatum, vel ſphinƈteres veſicæ aut ani adeo debilitati, ut lotium vel alvi fæx ſponte emittantur; Interim tentanda omnia, quamvis incaſſum, ne medentis officium neglexiſſe videamur.

Imprimis admotus ſalutares naturæ, quæ hunc morbum jam excitata febri fortiori, vel etiam larga diarrhœa, aut convulſio tremore ſuperveniente, aliquando ſanavit, reſpiciendum eſſe, optime monuit celeberrimus *Boerhaavius* (*a*) nec deſunt obſervationes conamina hæcce naturæ confirmantes; Civis quidam cacheƈticus hic loci 60 circiter annorum natus, a prægreſſo levioris parapoplexiæ inſultu, brachii ſiniſtri paralyſim inde reportavit, hic aliquando in horto ſuo obambulans, cum canalem anguſtum, parva aquæ ſtagnantis copia repletum, ſuper aſſerem trajeƈtum tranſiret, cecidit ex improviſo in illud aquæ receptaculum, extraƈtus ſtatim, nullum inde damnum reportabat, niſi quod madefaƈtus, & terrore aliquo modo perculſus domum redibat; triduo poſt violenta, catarrhalem æmulante febre correptus, mox punƈtionis ſenſum in brachio motu privato percipiebat, qui ſenſim augebatur, potiones diaphoreticas reſolventes, cum friƈtionibus ſiccis ſæpius repetitis adminiſtrabam; poſt motus febriles, per decem circiter dies perpeſſos, digitos ſenſim fleƈtere & aliquid prehendere vires naƈtus: elapſis poſtea ſex vel ſeptem ſeptimanis, motum brachii integrum ut & digitorum manus iterum recuperavit. Caupo quidam, olim in vicinia mea degens, ex diſſoluto admodum vitæ genere, quo per multos annos adſuetus erat, para-

[*a*] In *Aphoriſ.* 1064. confer. *Hipp.* de Morb. Capit. l. 1. c. 7. *Aretæus* l. 1. c. 4.

lysi fere universali corripiebatur, quam cum per dies aliquot perpessus esset, siti valida, ex motibus febrilibus perceptis vexabatur; professionis suæ haud immemor, ingentem copiam cerevisiæ recentis non bene fermentatæ per diem & noctem integram hausit, quo facto incidit in diarrhœam copiosiorem, cumque mense Augusti hoc accideret, quo eo anno dysenteria epidemica valde grassabatur, uxor ejus me precibus fatigabat ut ei succurrerem, ne morbo hoc spurcissimo, uti dixit, periret. Postquam morbi ortum & causas facile detexissem, diarrhœam istam, quam adeo pertimescebat, pro salutari remedio & valde convenienti ad paralysim dissipandam judicavi, promissis quidem steti, me velle dysenteriam avertere, sed diarrhœam promovere adeo necessariam duxi, ut nullus dubitarem, evacuationem hancce augendam adhuc esse, quare Pilulas ex Sapone alcalico, Gummatibus, Squilla, Resina Jalappæ, & Aloe lota in dosi convenienti bis de die adsumendas dedi. Motus quidem vestigium in artubus, cum primum viderem ægrotum, deprehendi, sed adeo debilis erat, ut nec solus stare, multo minus ambulare aut manibus aliquid prehendere poterat, sed cum per dies octo vel decem alvi iste fluxus copiosissimus, (quem ad avertendam dysenteriam summe necessariam prædicabam) absque interruptione perdurasset, corpusque squalore deterrimo repletum, valde elotum esset, motus in artubus successive redibat, adeo ut sanitati integræ præter spem restitutus fuerit.

Illustrissimus C. de P. a fluxu hæmorrhoidum suppresso, incidit in paraplegiam completam, ita ut artus superiores æque ac inferiores penitus immo-

biles deprehendebantur; adhibitis statim remediis convenientibus, utpote venæ sectione, clysmatibus, epispasticis, frictionibus, &c. omnia nihilominus in eodem statu manebant; altero die subito, per totum corpus convulsivo tremore percutiebatur æger, hi motus cum per horæ quadrantem æquali impetu perdurassent, viresque totius corporis exhausisse viderentur, tunc quasi e somno excitatus æger, artus paulatim movere incipiebat, & collectis denuo viribus, triduo post omnis redibat motus, adeo ut per cubiculum obambulare & negotia consueta subire iterum posset ægrotus.

Ex his curativæ aliquomodo emergunt indicationes, quid agendum scilicet sit, quando a paraplegia vel hemiplegia prægressis, paralysis quædam in extremitatibus corporis remanet; In corporibus repletis, cacochymicis, evacuantia per alvum continuata requiruntur; imprimis quæ resinosa præparata mercurialia, nempe mercurium dulcem vel panaceam mercurialem simul in compositione recipiunt. In aliis qui cruore denso, magis sicco, pulsu tardo &c. gaudent, diluentibus, saponaceis, aperientibus sudoriferis &c. sanguis successive in motum febrili proximum excitandus est, postquam decoctis sudoriferis massa cruoris repleta fuerit, ubi aliquando sudationes per spiritus accensos conveniunt &c. Ii vero, qui debilitate & stupore in membris læsis, suffocatum nervorum motum produnt, resolventibus penetrantioribus, alcalinis fixis & volatilibus nervinis, odoriferis vegetabilium & virosis animalium partibus, ut & mercurialibus præparatis tractandi sunt, quibus potissimum frictiones, motus in rheda vel equo frequentior, urticationes, synapismi & moxa in parte immobili accensa &c. conveniunt.

Itaque

Itaque ab omni causa interna, potissimum apoplexia, paraplegia, vel hemiplegia, &c. prægressis, relictæ paralyses, cum hæ nervorum obstructiones pro causa proxima agnoscant, exposcunt impacti obstruentis quod canaliculos corporis nostri omnium minimos occupat, dissipationem; resolventibus itaque penetrantioribus hæc obstructio aggredienda est, quorum effectus salutaris utplurimum menses integros postulat. Remedia interna, in ægrotis ejusmodi maxime proficua, & experientia mea sæpius comprobata, sunt alcalia quædam fixa cum volatilibus sociata, & resolventibus nonnullis nervinis permixta, quæ cum per tempus longum adsumenda sint, in forma guttularum, (palato non adeo ingrata, ac aliæ formularum compositiones) exhibenda esse suadeo; sequens autem mixtura votis meis optime respondit. Recipe. Tincturæ antimonii tartarisat. vel etiam Tincturæ salis tartari vj. drag. Ω Corn. Cerv. rectif. iij. drag. Ess. Succin. Ambr. & R. Pimpinell. alb. ana ij. drag. M. D. ad Gut. 60. l. 70. bis vel ter die cum aqua c. adsumenda. Cubitum ituris resolvens aliquod potentissimum quotidie adsumendum, hunc in modum conflatum exhibui. Recipe. Panac. mercurialis vel mercurii dulc. 6. l. 7. sublimati ij drag. aurat. pulveris antimonii ult. præcipitat. v. scrup. Misc. exacte diu triturando in mortar. vitr. post admisc. Extr. resinos. Rad. Pimpinell. alb. q. s. ad Pilul. æqual. formandas gran. $1\frac{1}{2}$ ponder. auro obducend. dos. gr. 8, 9. l. semi-scrup. &c. Si aridura in parte paralysi affecta percipitur, fomentationes vaporosæ ex nervinis speciebus conveniunt, vel etiam stillicidium thermarum. In emaciatis ejusmodi artubus, proficua fuisse Linimenta dicta nervina expertus sum, quæ ex speciebus cephalicis, nervinis odoriferis, coctione cum olivarum oleo, pa-

rantur. Ubi vero artus paralytici ab obstructione tenaci pituitosa tument, frictiones spirituosæ imprimis ex Spiritu Serpilli, Lavendulæ & Formicarum conflatæ, adjecta in refracta dosi Castorei Tinctura, opem ferunt. In omni autem paralysis specie ut & ubi cutis nervi ab obstructione sensum valde obtusum exhibent, maximæ utilitatis deprehenduntur frictiones siccæ, imprimis si panni lanei, vel etiam lintei, fumo ex accensis gummatibus resinosis, utpote Thure, Masticheş, Olibano & Succino impregnati prius fuerunt. *Celsus* libr. 2. cap. 14. egregie dicit: membrum aliquod resolutum ipsius frictione confirmatur. In crure paralytico, epispastica plantæ pedis admota, necessaria sæpius inveni, sic & raphani radicem, radula comminutum, ad deoppilandum cutis nervos, tactus sensum suffocantes, efficacem sæpius deprehendi, vel suadente *Celso*, impositum Synapi, qui & per urticas cæsæ cutis exasperationem commendat, &c. vid. libr. 3. c. 27. sic & Empl. spinæ dorsi, ex gummis Galbano, Sagapeno, Extracto Castor. & Oleo Ruthæ, &c. applicatum.

In brachii manusque completa paralysi, adhibitis remediis hactenus recensitis, quamprimum motus vestigium in uno alterove digito adparet, statim leve pondus appendere curavi, quod vi resistentiæ istius motus proportionale fuit digitis istis; postmodum labefactatum brachium ope alterius sani, vel domestici cujusdam, per aliquot minuta temporis commoveri jussi: vim movendi, & pondus appensum resistendi indies auctam inde deprehendi, imprimis si ponderis appensi aucta moles, digitorum resistentiæ proportionata probe observabatur, simplici hac encheiresi motus & levandi & retinendi vigorem intra menses duas vel tres adeo adauxi, ut vis illa in manu

æque ac brachio naturali tandem ſimillimas iterum redibat.

Productæ in artubus a læſione quadam externa paralyſes, vel motus debilitates in juncturis oſſium, a luxatione, fractura, vulnere, &c. ortæ, egregie quandoque diſſipantur uſu thermarum debita methodo & tempore idoneo adhibitarum. Omnis inſuper in hoc morbo ſalutaris effectus expectandus pendet maxime a cauſis antea indigitatis, deinde ab ætate, temperamento, & vitæ genere ab ægrotis obſervato.

Quid denique mira iſta concuſſio, quæ per vim electricam artubus paralyticis admoveri poteſt, in recludendis nervorum obſtructionibus efficit, non penitus negligenda, cum clariſſimus Jallaber Genevæ, & Medici nonnulli Regiomonti in Boruſſia, & Haffniæ in Dania, &c. cum ſucceſſu proſperum inde eventum experti ſint; experimenta ejusmodi & hic fuerunt inſtituta, ſed effectus deſiderati non penitus votis noſtris reſponderunt.

FINIS.



